52506/P

VENEL [P]
C

(P)

VENEL, G. F.
c

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISSERTATIO
DE HUMORUM CRASSITUDINE UBI DE INCIDENTIBUS ET ATTENUANTIBUS, CUM THEORIA ET CURATIONE OBSTRUCTIONUM IN GENERE.

Cujus veritatem Deo duce, & auſpice Dei-Parâ tueri conabitur, in Auguſtiſſimo Monſpelienſi Apollinis Fano, ab horâ octavâ ad Meridiem Die   Menſis Aprilis Anni 1741,
GABRIEL-FRANCISCUS VENEL, Piſcenenſis apud Occitanos, Artium Liberalium Magiſter, jam dudum Medicinæ alumnus, & Univerſitatis Conſiliarius.

PRÆSIDE.

Illuſtriſſimo Viro D. D. ANTONIO MAGNOL, Regis Conſiliario & Medico, nec-non in Almâ Monſpelienſi Medicorum Academiâ Profeſſore Regio digniſſimo, & in Seneſcalli Curiâ Comite Honorario.

Pro primâ Apollinari Laureâ conſequendâ.

Thomas

MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Typographum unicum. 1741.

318332



CELCISSIMO POTENTISSIMOQUE

D. D. JOANNI-BAPTISTÆ

COMITI

DE POLASTRON,

VICECOMITI DE PLAISSAN, Domino de St. Giron, Lavagnac, Bellarga, Villeneuve-Laurac, St. Pons de Mauchiens, &c. Ordinis Regii & Militarîs Sancti Ludovici Æquiti, Novi-Briſaci Gubernatori, Regiorum exercituum Legato, Sereniſſimiquè Delphini juventæ Prorectori.

COMES ILLUSTRISSIME;

Quòd ars Iatrica tuum ambiat Patrocinium & à meâ in te obſervantiâ & à tuo in omnes

WELLCOME LIBRARY

bonas artes amore proficiſcitur : cum enim puer ego tuam in Patrem meum Chariſſimum plenam officiorum voluntatem animadvertiſſem, dùm in Occitaniâ Militiæ pedeſtris Inſpector olim commorabaris, ſimul quantus eſſes litterarum æſtimator didiciſſem, nihil mihi potiùs fuit quam ut VIR ILLUSTRISSIME *te Patrono primùm prodirem in lucem, & ſtudiis meis aliquam commendationem ex nominis tui authoritate quærerem; nequè verò quidquam mihi optabilius quàm quòd laborum meorum primitias tibi haud ingratas fore à te ipſo acceperim : tum enim de futuris eorum ſucceſſibus fauſtum aliquid fidentiùs ſperare cæpi, cum illos ſuſtentandos intellexi præſidio tanti viri, quem ſummoperè commendat Gentilitia nobilitas antiquiſſima, Bellicâ fortitudine inclita. Proprias tibi virtutes celebrare hic ſi liceret, immenſus ſeſe offert mihi campus : majorum enim tuorum famam gloria rerum à te geſtarum adæquat, Regis omnium maximi, qui te Sereniſſimi Delphini juventæ Prorectorem inſtituit, delectus amplificat : ſed in ipſo conatu ut ſileam imperat modeſtia illa ſingularis quæ ad omne*

laudationis genus aures tuas obturat. Hoc unum mihi ſupereſt, ut hanc diſſertationem in æternum venerationis meæ monumentum nomini tuo voveam atquè conſecrem, meque ipſum in perpetuùm fore profitear.

COMES ILLUSTRISSIME,

Dabam Monſpelii die 24. Menſis Aprilis anni 1741.

Tuum devotiſſimum humillimum & obſequentiſſimum Clientem.

G. F. VENEL.

R R. D. D.

PROFESSORES REGII.

Illuſtriſſimus D. D. FRANCISCUS CHICOYNEAU, Cancellarius & Judex, Regi à Secretoribus Conſiliis, Archiatrorum Comes.

DISPUTATURI.

R. D. PETRUS RIDEUX, Decanus.
R. D. HENRICUS HAGUENOT.
R. D. JACOBUS LAZERME.
R. P. GERARDUS FITZGERALD.
R. D. EUSTACHIUS MARCOT, Regis Medicus perpetuò ordinarius.
R. D. ANTONIUS FIZES.
R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

DOCTORES ORDINARII.

D. Claudius Chaptal.
D. Franciscus Combaluzier.
D. Petrus Magnol.
D. Thomas Fitz-Maurice.
D. Petrus Tioch.
D. Joannes Brouzet.
D. Franciscus Lamure.
D. Petrus Boullanger.
D. Joannes-Baptista Gouget.

DISSERTATIO

DE HUMORUM CRASSITUDINE UBI DE INCIDENTIBUS ET ATTENUANTIBUS, CUM THEORIA ET CURATIONE OBSTRUCTIONUM IN GENERE.

ARTICULUS PRIMUS.

DE HUMORUM CRASSITUDINE

I.

CRASSITIES humorum concretionis ſpecies eſt, in quâ iidem humores, partibus eorum ſuccidentibus, & torpeſcentibus, concreverunt in corpus plùs, vel minus craſſum & ſpiſſum.

II.

Plures ſunt craſſitudinis ſpecies; prout humores, ſic concreti à naturali fluiditate plùs vel minùs re-

cedunt. Ita quoque pro naturâ humoris concreti, alia eſt craſſitudo totius ſanguinis, ſeu ejus partis albæ cum parte rubrâ, alia partis albæ dumtaxat

III.

In eo igitur conveniunt humorum craſſitudo, & denſitas, quòd in utrâque concretionis ſpecie humorum moleculæ magis inter ſe cohærent, quàm in ſtatu naturali: differunt verò non ex eo ſolùm, quòd humores denſati, æquè ac craſſi ſic ſtrictè cohærere non ſolent, ſed etiam ratione cauſæ. Quippe denſatio à tenſis prætermodum vaſis & validè prementibus dependet; craſſities verò à laxatis vaſis præſertim capillaribus. Differunt quoque per varias cauſas, quibus inferri ſolent.

IV.

Plures ſunt naturalis humorum fluiditatis cauſæ, verùm ex illis debita vaſorum preſſio præcipua eſt: eâ enim advenientis in vaſa ſanguinea maximè diſjunctæ chyli partes colliguntur & adunantur, eâ partes aqueæ, aëreæ, & igneæ in motum aguntur, aliarum molecularum nimiam cohæſionem impeditutæ, eâ tandem debitè permixtæ omnes humorum moleculæ componunt fluidum molle, ductile, & elaſticum. Itaque vitiata vaſorum preſſio cauſa præcipua eſt deperditæ humorum fluiditatis, quæ nimia ſi ſit humores in corpus denſum cogendi ſunt; vel in craſſum & ſpiſſum adunandi, ſi debilitatâ illâ preſſione humores debitè non moveantur, miſceantur, & propellantur.

V.

Quare autem humores torpeſcendo nativam ſuam

fluiditatem amittunt, vel leviter attendenti facilè patebit: iiſdem enim humoribus tunc ſibi ipſis relictis, aut ſaltem non debito motu actis, partes eorum graviores ſubſidunt, & aliis cohærendo moleculas craſſiores efformant; ſic etiam quæ homogeneæ ſunt, ſibi placidè nimis occurrendo, uniuntur. Tandem omnibus plùs vel minùs inter ſe coaleſcentibus, humores amiſſâ ſuâ fluiditate abeunt in corpus plùs vel minùs craſſum & ſpiſſum, maximè in vaſis capillaribus, nam præthereà quòd in illis humores in ſtatu naturali lentiſſimè fluunt, hæc eadem vaſa utpote quæ ſummè naturâ ſuâ laxa & debilia, aliis vaſis multò magis & faciliùs laxari & debilitari poſſunt, ac proinde humores in illis facilè torpeſcere.

VI.

Ergo quæcumque vaſorum textum laxare poterunt, ita ut in eis humorum motus retardetur, ea eorundem humorum craſſitiei inducendæ aptiſſima ſunt, qualia ſunt aer humidus, longior & præpoſterus diluentium uſus, maximè ſi corpus naturâ laxum ſit, molle, humidum, ſomnus diutius protractus, vita deſes & otioſa, balneum aquæ tepidæ.

VII.

Jam ſi quæras quo mechaniſmo variis his-ce cauſis laxatur partium textus debilitaturque vaſorum tonus, ex principiis phyſiologicis & pathologicis facilè deducere poteris: & quidem partium tenſio ab humorum, quibus replentur vaſa, ex quibus contextæ ſunt, elaſticitate potiſſimùm dependet: hæc autem elaſticitas major vel minor eſt pro eorundem humorum denſitate; quibus proinde humoribus nimiùm remollitis, vaſa debilitari ac partium,

quæ ex illis compoſitæ ſunt, textum laxari neceſſum eſt. Quòd autem humores remolleſcant nimis & vaſa laxentur aëre humidiori, & longo diluentium, atque emollientium uſu, ut & balneis aquæ tepidæ maximè ſi quis in ea frequenter demittitur, temperamento mollis ſit & humidus: hæc ulteriori probatione non indigent; interpoſitis enim tenuioribus partibus aqueis aëris humidi, aut diluentium, & emollientium, aut balneorum, quæ ad naturalem firmitudinem coactæ erant, & ſolidorum & fluidorum partes ab invicem aliquatenus ſejunguntur, atque multò minùs inter ſe connexis, ſolidorum textus laxatur, mutanturque humores in corpus molle quidem, ſed multò minùs elaſticum, ac proinde vaſis præſertim capillaribus debitè tendendis multò minùs aptum.

Sic quoque ſomno diutius protracto, vitâ deſide & otioſâ partium textus laxandus eſt; quippe tùnc imminuto humorum motu partes eorum laxè inter ſe connexæ ſubſidunt minùs elaſticæ, vappidæ & inertes ac proinde partibus debitè tendendis ineptæ.

VIII.

Ex dictis rationem habes, quare, qui propè paludes habitant, ut plurimùm cachectici fiunt, atque obſtructis eorum vaſis capillaribus, febribus intermittentibus frequentiùs laborant; quare in illis viſcera infarciuntur, hydrops ſubſequitur ferè numquam ſanandus; quare etiam qui vitam in otio degunt, aut ſomno diutius indulgent ſucceſſu temporis ad motum inhabiles ſunt, atque nullâ vel parcè factâ humorum diſſipatione, affectibus ſoporoſis vitam terminant, maximè ſi alimentis euchymis ſaginentur.

IX.

An alimenta craſſa & viſcida ore ingeſta ſangui-

nem inſpiſſare poterint, inter medicos diſſentitur: „ Vaſorum chyliferorum oſtiola ex clariſſ.
„ *Boerhaave* minùs patula ſunt, quàm confinia arte-
„ riæ & venæ, ſive plexûs reticularîs per quem ſan-
„ guis tranſit ex arteriis in venas, ut docet Microſ-
„ copium; ideoque particulæ per vaſorum lacteo-
„ rum vaſcula.... in venas & ideo in cor delatæ
„ adeò exiles ſunt, ut mole ſuâ ſanguinis fluiditatem
„ impedire nequeant: & quidem obſervavit *Leuvve-*
„ *nohoek*, chyli particulas & lymphæ multò minores
„ eſſe, partibus ſanguinis rubicundis: hoc itaque
„ reſpectu nullus ferè chylus ex ſe corpori ſano
„ noxius eſſe poteſt; cum particulæ nimis craſſæ
„ vaſa lactea.... nequaquam ingredi poſſint; adeò-
„ que vitium hoc (craſſitudo) ex cauſâ eſt merè
„ internâ. (*a*)

X.

Oſtiola ſi quidem vaſorum chyliferorum minùs patula ſunt, quàm confinia arteriæ & venæ, ſeu plexûs reticularîs, per quem ſanguis tranſit ex arteriis ſanguineis in venas ſanguineas. Globuli quoque chylacei minores ſunt, quàm globuli rubri ſanguinis, ad quos proinde admittendos major, quàm ad chylaceos vaſorum amplitudo requiritur: verùm præter hæc vaſa dantur plura alia & numero indefinita, arteriæ nempè & venæ lymphaticæ ſaltem ultimæ, quæ arteriis & venis ſanguineis multò tenùiores ſunt atque minùs patulæ, quàm orificia vaſorum chyliferorum: & quidem quis oculis etiam armatis horumce minimorum oſtiola umquam vidit, fortaſſe numquam viſenda? tanta eſt horum-ce vaſorum tenuitas; in quibus proinde humorum motus intercipi, aut facilè imminui poteſt. Sed ut clariùs pateat, quomodo alimenta craſſa &

(a) De viribus Med. prolog. c. 8.

viſcida ore ingeſta, aut alios ſuccos ſpiſſos, humores inſpiſſare poſſunt, quædam præmittenda ſunt.

XI.

1°. Dantur in rerum naturâ ſubſtantiæ ſimplices, ſcilicet ignis, aer, aqua & plures terræ ſpecies. 1°. Vitriſcibiles ex quibus ſalia & cryſtalli componuntur, hæ terræ ſpecies ingrediuntur quoque compoſitionem metallorum. 2°. Calcinabiles quales ſunt lapides calcarii, ex quibus etiam conſtant corpora viſcoſa, non inflammabilia. 3°. Terræ pingues ex quibus unà cum principio phlogiſtico compoſita ſunt olea vegetabilium, animalium, & mineralium.

XII.

2°. Subſtantiæ illæ, quas primigenias vocamus, nec motu, nec ullis cauſis naturalibus produci, nec deſtrui poſſunt; verùm eo in ſtatu tandiu permanſuræ, quandiu Deus rerum omnium creator omnipotenti ſuâ voluntate illas conſervare voluerit: omnes enim quas pati videntur, alterationes, merè adventitiæ ſunt à diverſâ earum poſiturâ & cum aliis ſubſtantiis permixtione pendentes.

XIII.

3°. Ex illis primis ſubſtantiis omnia alia corpora efformata ſunt; ità inter ſe in certis corporibus ſtrictè connexis, ut niſi difficilè ab invicem ſeparari poſſint, ut inprimis videre eſt in metallis, quorum ſubſtantiæ componentes, niſi totis ignîs viribus non ſejunguntur.

XIV.

4°. Ità quoque naturalis conſenſio eſt, tantaque

affinitas inter primas ſubſtantias ejuſdem ſpeciei; imò & inter corpora non-nulla quæ ex iis efformata ſunt, ut ab invicem ſejuncta, illicò, ſi libera ſint, veluti quâdam amicitiâ, ferri inſtar & magnetis conjungantur eamdem formam & figuram conſtanter reſumentes; ſic ſalia etſi maximè ſoluta de novo ſub eâdem formâ coëunt, iiſdemque qualitatibus prædita; ſic quoque alimentorum partes iterùm uniri poſſunt eadem corpora efformaturæ ſi omnes eodem modo diſponantur, quo in alimentis diſpoſitæ erant.

X V.

Itaque alimenta craſſa & viſcida humores inſpiſſare poſſunt, non ex eo quidem, quòd eorum partes craſſæ, utí vulgò docetur, vaſa Chylifera ſubeant, id impoſſibile eſt; ſtrictiora enim ſunt horum-ce vaſorum oſtiola, ut craſſas illas alimentorum moleculas admittere poſſint, ſed quia illæmet partes in primis viis ſummè diviſæ atque vaſa Chylifera ingreſſæ, iterùm uniuntur unde moleculas craſſiores efformant quæ humoribus permixtæ eos plús vel minùs incraſſant & ſpiſſant.

X V I.

Hæc autem adunatio fit præſertim in vaſis capillaribus, ibi enim partes quæ in alimentis moleculas craſſas efformabant, veluti ſibi ipſis relictæ ad invicem coaleſcunt, & craſſiores fiunt quibus humorum fluiditas imminuenda eſt. Humores quoque in magnis vaſis inſpiſſantur, tum ab iis quæ in capillaribus jam coaluêre, ſi cum illis iterùm permiſceantur, tum etiam ab illis, quæ ſibi occurrendo propter innatam affinitatem in iiſdem magnis vaſis coëunt, uniunturque; interpoſitis enim illis parti-

bus craſſis & viſcoſis, veluti quodam cimento, quidem molli, tenuiores humorum moleculæ conglutinantur, & eò magis quòd ab ipſis alimentorum partibus craſſis & viſcoſis, vaſorum textus laxatur debilitaturque eorum tonus, unde humores minori motu acti faciliùs inſpiſſari poſſunt.

Ex iis rationem habes quare maximè noxia ſint alimenta craſſa & viſcida, iis præſertim quorum partium textus laxus eſt, atque temperamentum humidum.

XVII.

Eodem planè modo quilibet ſucci alii craſſi & viſcidi humores plùs vel minùs ſpiſſant, quippè eorum moleculæ in vaſis, ſed imprimis capillaribus, adunatæ mole majores fiunt, atque hùmoribus permixtæ eos plùs vel minùs incraſſant & ſpiſſant, tum pro earum quantitate, tum pro earum naturali majori vel minori craſſitie, aut ad craſſeſcendum aptitudine.

Quæ diximus de humoribus craſſis in primis viis genitis, hæc etiam intelligenda ſunt de aliis ſicut & de humoribus recrementitiis & excrementitiis, ſi craſſiores facti ſanguini permiſceantur.

XVIII.

Negari quidem non poteſt in primarum viarum cavo non raró ingentem acidorum ſuccorum colluviem in maximum proſperæ valetudinis detrimentum ſtabulari: hæc evidenter probant tùm ructus acidi qui tunc erumpunt, tùm vomitus materierum eaſdem qualitates redolentium. Præterea num-ne acida & aceſcentia alimenta & potulenta magnâ quantitate perſæpe ingeruntur? itaque ſi vires ventriculi nimis languidæ ſint, & bilis ſimul ener-

gia

gia deficiat; brevi omninò temporis ſpatio ingens acidarum ſordium ſaburra in primis corporis officinis coacervabitur quæ humoribus permixtæ eos facillimè inſpiſſaturæ ſunt, acidis autem humores craſſeſcunt, tùm quia eorum moleculas ſuo pondere gravant, tùm quia eorundem acidorum ſpiculis moleculæ illæ ità configuntur, ut ad invicem connexæ earum mobilitas ſiſtitur, tùm quia ſicuti corpuſcula frigorifica ad glaciem efficiendam, ſic acida in humorum partes intromittuntur eaſque veluti glutine quodam ligant nectuntque. Verùm acida ſanguini permixta indolem facilè mutant in ammoniacalem & eò citiùs quò ſanguinis calor intenſior eſt.

Ex iis patet quarè tam noxia ſint alimenta craſſa & viſcida omniaque ore aſſumpta ſubcruda, acerba, auſtera.

Denique humores inſpiſſari poſſunt viru venereo, & ſcrophuloſo, &c.

XIX.

Hæ ſunt præcipuæ cauſæ humorum craſſitudinis, quarum aliæ totum ſanguinem ſpiſſant, aliæ verò ejus partem albam duntaxat. Modò enim totus ſanguis, tam in magnis quàm in minimis vaſis craſſus eſt & ſpiſſus, modò ejus pars alba dumtaxat.

XX.

Inſpiſſatis humoribus corporis functiones citò pervertuntur, quippè cum aliis humorum partibus intimè permixtæ quæ ab illis ſecernendæ & excernendæ ſunt, & idcirco retentæ eorundem humorum quantitatem adaugent, pervertuntque qualitates naturales, iiſdem humoribus craſſis & ſpiſſis vaſa laxata facillimè cedunt, atque eorundem pondere gravata

difficiliùs contrahuntur, tandem humores ubique torpeſcendo lentiùs progrediuntur vaſa obturantur, unde vitiato eorum motu circulari ſanitas evertitur difficiliter reſtituenda.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Theoriâ obſtructionum.

I.

OMnium corporis functionum ordo, conſenſus & integritas à debito humorum motu progreſſivo dependent: hic autem motus non vitiatur, niſi in aliquâ corporis parte priùs intercipiatur, vel remittatur, ſeu niſi vaſa in unâ vel pluribus partibus plùs vel minùs anguſtata ſint: quippè omnibus & ſingulis corporis vaſis patulis, & perviis, humores, prout unicuique temperamento competit, varias corporis partes perluſtrant, atque è corde profecti, eodem tenore ad cor redeunt, idem iter peracturi; unde ſecretiones & aliæ corporis functiones ritè perficiuntur.

II.

Itaque ut vitietur circularis humorum motus, atque functiones] notabiliter lædantur; ille idemet motus in pluribus, aut in aliquâ corporis parte intercipiendus, aut remittendus eſt; ideò autem intercipitur, aut remittitur, quia vaſa in illis partibus anguſtata ſunt: ac proinde vaſorum angnſtia omnium morborum internorum præcipua cauſa eſt; quam ſi non avertas, morbos præcavere non poteris; nec eis

mederi, ſi ab eâ, quæ jam facta eſt, anguſtiâ vaſa non liberentur.

III.

Vaſa diverſimodè anguſtari poſſunt; unde plures anguſtiæ ſpecies à *Pathologis* diſtingui ſolent: vaſa enim ſic quandoque conſtringunrur, vel comprimuntur, ut parietibus maximè approximatis, cavitas eorum aut aboleatur, aut ſummè imminuatur: vel humoribus ità obturantur, ut advenientibus omnis aditus intercipiatur, aut multò minùs liber ſit, quàm in ſtatu naturali: ſeu anguſtia inferri poteſt vel vitio vaſorum, vel humorum, vel utrorumque.

IV.

I. Vitio vaſorum. 1.° Si conſtringantur nimis; conſtringuntur autem vel ipſorum convulſione, vel nervorum, & partium vicinarum ſpaſmo.

2.° Si præter modum laxentur.

3.° Si à quâcumque cauſâ exteriùs agente, maximè comprimantur, ut tumoribus in ſuperficie, aut in viciniis vaſorum adnatis, oſſe è ſede dimoto, injectâ ligaturâ, aut alio corpore comprimente.

II. Vitio humorum ſi quantitate, vel rareſcentiâ, vel motu peccent, aut ſi denſiores, vel craſſiores ſint.

III. Solidorum & fluidorum vitio, ſi utraque eodem tempore vitiata ſint.

V.

De illâ anguſtiæ ſpecie, quæ ab humoribus dependet, hîc potiſſimùm agimus, quæque obſtructio dici ſolet. Itaque obſtructio vaſorum major vel minor obturatio eſt ab humoribus in illis vaſis plùs vel minùs inhærentibus, & obturantibus dependens

VI.

Plures ſunt obſtructionum differentiæ 1°. Ratione vaſorum, quæ obturata ſunt; alia enim eſt obſtructio ultimarum arteriarum ſanguinearum, alia lymphaticarum, alia vaſorum ſecretoriorum.

2.° Ratione humorum quibus vaſa obſtructa ſunt, alia eſt obſtructio à ſanguine, ſeu à parte rubrâ cum parte albâ, alia à parte albâ ſolùmmodò, alia ab humoribus recrementitiis, vel excrementitiis.

VII.

3.° Hæ variæ obſtructionis ſpecies vel univerſales ſunt, vel particulares. Obſtructionem univerſalem dicimus in quâ quidem omnia corporis vaſa capillaria obſtructa non ſunt; tunc enim in omnibus aliis corporis vaſis, humorum motus, penitùs interciperetur, verùm obſtructio univerſalis nuncupari poteſt, cùm in omnibus, aut quàm plurimis corporis partibus plura vaſa capillaria eodem tempore obturata ſunt, ſic in rheumatiſmo univerſali, in inflammatione totius cutîs, ſæpiùs in cachexiâ, & anaſarcâ obſtructio univerſalis eſt.

Obſtructio particularis eſt, ſi in unâ aut alterâ corporis parte vaſa obturentur, ut evenit in inflammatione pulmonum, ſcirrho lienis, tumore œdematoſo pedum &c.

VIII.

4.° Alia eſt obſtructio totalis, cùm nempè vaſa ità obturata ſunt, ut humores appellentes per eadem vaſa ultrà fluere non poſſint; alia eſt partialis, quâ nempè humorum fluxus in ipſis vaſis obſtructis penitùs interceptus non eſt, cujus etiam variæ dantur ſpecies prout humorum motus in eis plùs vel minùs difficilis eſt.

IX.

5.º Obſtructio ſimplex eſt, vel compoſita. Simplex ſi vaſa capillaria uno eodemque humore, ſanguine, vel lymphâ ſolùm obturata ſunt; compoſita ſi in eâdem parte quædam vaſa ſanguine, lymphâ vel humoribus recrementitiis, vel excrementitiis eodem tempore obturentur. Præter has obſtructionis compoſitæ differentias, dantur aliæ; eæ nempè quas præcedit, vel concomitatur vaſorum conſtrictio, vel compreſſio, ſeu in quibus vaſa anguſtata ſunt, non humoribus ſolùm, ſed etiam convulſione propriâ, vel partium vicinarum ſpaſmo, vel corpore exteriùs comprimente.

XI.

Arteriæ ſanguineæ è corde recedendo lateraliter emittunt propagines, quarum diametri tantò decreſcunt, quò à corde, aut à ſuis truncis magis diſtant, quæ proinde, ſcilicet minùs remotæ ut potè diametro majores rubram ſanguinis partem cum albâ admittunt, aliæ verò ſeu remotiores partem albam duntaxat; inde arteriarum diviſio in ſanguineas & lymphaticas, in totidem, & ejuſdem nominis venas immediatè deſinentes, arteriæ enim ſanguineæ venis ſanguineis ſicuti arteriæ lymphaticæ venis lymphaticis continuæ ſunt. Tandem nec idem eſt illorum vaſorum ſaltem minimorum raptatus nec eadem ſoliditas.

XII.

Earundem arteriarum lymphaticarum ſurculi cum aliis arteriis & venis ſanguineis & lymphaticis capillaribus majori vel minori quantitate ſimùl connexi corpora efformant ad varios humores in certis corporis partibus ſecernendos, quibus glandu-

larum nomen inditum eſt, conglomeratarum ſeu compoſitarum, tùm quia hæ glandulæ aliis mole majores ſunt, tùm inprimis quia vaſa ſecretoria, in unum ut in parotidibus, vel in paucos ductus communes excretorios deſinunt ut glandulæ lachrymales; aliæ glandulæ quæ conglobatæ & ſimplices dicuntur, mole minores ſunt; & vaſa ſecretoria non in unum ductum communem coëunt, ſed quodlibet ex illis, aut perpauca unita ſecretum humorem alterâ ſuâ extremitate eructant, hæc autem extremitas ut vas excretorium haberi poteſt, alia verò extremitas vas ſecretorium eſt, nam in iis glandulis idem vas ut plurimum ſecretorium & excretorium eſt.

XIII.

Omnia ſiquidem corporis vaſa obturari poſſunt, verùm multò frequentiùs capillaria, uti obſervatione conſtat; quippè maxima eſt horum-ce vaſorum tenuitas quæ proindè minimâ vi ſyſtallicâ prædita ſunt. Inſuper ſucci lymphatici naturâ ſuâ ad ſubſidendum proni ſunt, iis enim globulis deſtituuntur, qui ſanguinis purpuram conſtituunt, quique mirabili ſuâ volubilitate illum à ſubſidentiâ præſervant. Denique in capillaribus lentiſſimus eſt humorum motus, quò enim creſcunt à corde diſtantiæ, tantò decreſcunt vaſorum diametri, quorum, dùm decreſcunt capacitates reſiſtentiæ creſcunt, quæ proindè humorum circuitui obices erunt, adeò ut circulatio eſt in non nullis arteriis capillaribus ad aortam ut 5233. ad 1. ita dùm ſanguis in minimis arteriarum diviſionibus ſpatium unius pedis, in aortâ pedes 5233. percurrit. (*a*) quantò etiam lentiùs humores moventur in illis vaſis quæ ob ſum-

(a) Jacob Keill. tent. med.-phis. tent. 2.

mam ſuam tenuitatem ſub ſenſus nullo modo cadere poſſunt. Hæc autem vaſa cùm maximè tenuia ſint, atque variè inflexa & intertexta, in illis proindè humorum motus magis ac magis imminuendus eſt.

XIV.

Ex variis arteriis capillaribus, lymphaticæ multò faciliùs obturantur, quia cæteris paribus, faciliùs & ſæpiùs impeditus liquidi motus in canali laterum ad partes motûs convergentium (qualis eſt arteria) quam in vaſe laterum parallerorum (quale eſt vas ſecretorium) & faciliùs impeditur idem motus in canali latera habente parallela (quale eſt vas ſecretorium) quàm in canali laterum à partibus motûs divergentium (qualis eſt vena) uti demonſtravit Clar. *Pitcarnius* (a) modò tamen anguſtia à compreſſione in venis factâ non dependeat ; tunc enim venæ arteriis priùs infarciuntur, atque infarctus primò incipit infrà, & propè locum compreſſum, ità ut arteriæ continuæ niſi priùs infarctis venis non ingurgitentur. Obturantur quoque vaſa ſecretoria & in ſui principio, & in ipſo eorum tractu ; uti dicemus inferiùs.

XV.

In omni corporis parte arteriæ lymphaticæ obturari poſſunt ; ſed illæ præ aliis multò frequentiùs quæ intrà textum cellularem naturaliter ſerpunt ; textus autem ille non ſub cute ſolùm, & membranis viſcerum, muſculorum, tendinum, & oſſium extenditur ; propagines etiam emittit, quæ intimum harum-ce partium contextum ingreſſæ, omnes & minimas fibrillas carneas, tendineas, oſſeas, & viſ-

(a) Pitc. Diſſ. de circ. ſang. in anim. gen. & non genitis.

cerum moleculas, atque acinos veluti in vaginulâ includunt. Textus ille limphæ & pinguedinis ſedes naturalis eſt. Prætereà ibi vaſa faciliùs & ſæpiùs obturantur, ubi potiſſimùm abceſſus fiunt, atque œdematoſi & Skirrodei tumores excreſcunt, quæque certè, ut tumorum & abceſſuum apertione evincitur, in textu Reticulari evenire ſolent; denique tumores, ſive in Kiſtide incluſi ſint, vel non incluſi, ſi manibus contrectantur intrà textum cellularem ſtantes, atque ex eo veluti è ſede ſuâ, factâ cutîs inciſione extrahuntur. Quæ de textu cellulari ſub cute, aut ſub membranis muſculorum & viſcerum dicta ſunt; hæc etiam de textu cellulari qui illarum-ce partium compoſitionem ingreditur intelligenda ſunt. Ibi quoque obſtructionum præcipua ſedes eſt, quia in eo ubique ſerpunt arteriæ limphaticæ.

XVI.

Ex dictis patet quarè ulcera quæ in partibus pinguedine refertis, aut ubi major eſt textûs cellularîs apparatus & quantitas majorem puris copiam effundunt. Indè etiam rationem habes, quarè muſculi etſi magnâ puris quantitate undique circumdati, & veluti in eo innatantes, integri remanere poſſunt. Nè credas tamen ſerpente ulcere in viciniis muſculorum, ipſos muſculos in conſenſum non trahi; in vaſis etiam ex quibus fibræ carneæ contextæ ſunt, plùs vel minùs læditur humorum motus, ibi proindè ſtagnare atque in pus poſſunt mutari, verùm non ità facilè, maximè ſi humorum decubitus à cauſâ internâ dependeat, quàm in vaſis textûs cellularîs, quo veluti in vaginulis includuntur vel minimæ fibræ carneæ; præterea rarò muſculi in ſuppuratum abeunt, uti jam diximus, pus verò ut-plurimum colligitur ſub cute, vel in inſterſti-

tiis

tiis muſculorum. Iis præmiſſis de ſede obſtructionum, jam de variis earum ſpeciebus.

XVII.

Primò. De obſtructionibus à ſanguine. Hæc obſtructionis ſpecies fit ſubitò, ſeu per fluxionem; vel lentè, ſeu per congeſtionem; unde duplicem obſtructionis ſpeciem à ſanguine diſtinguimus; quarum una inflamatoria eſt; cujus tres ſunt ſpecies, ſcilicet phlogoſis, phlegmone, & eryſipas; altera verò, etſi à ſanguine etiam dependeat inflammationem per ſe non producit.

XVIII.

Inter *Pathologos* controvertitur; ſcilicet quænam ex arteriis, an ſanguineæ, an lymphaticæ primùm, an verò ſimul & eodem tempore obturentur. Sanguinis pars rubra, cum parte albâ capillares arterias ſanguineas ingreditur venas continuas aditurus; quod autem ex parte albâ tenuius eſt ad arterias lymphaticas in ſtatu naturali pertingit, ut ex iis in venas lymphaticas etiam continuas confluat; hæc autem vaſa tenuiora ſunt, ut globulos rubros, & partem albam craſſiorem naturaliter admittant. Itaque ſanguis cum parte albâ craſſiori ad arterias lymphaticas non appellit, niſi aditus eis præcludatur aut naturali minùs liber ſit in capillaribus arteriis ſanguineis; vel quia ſanguis tanto impetu propellitur, ut vi ſui motûs ipſas arterias lymphaticas diducere poſſit, ac in illas irruere.

XIX.

Iis ità præmiſſis; quæ inter *Pathologos* diſſentio

eſt circà primam ſedem obſtructionis inflammatoriæ facilè ſolvitur : ut autem ſanguis arterias lymphaticas ingrediatur, aut maximo motu agendus eſt; aut, & quod haud dubiè frequentiùs evenit, ſanguinis motus in arteriis capillaribus ſanguineis priùs imminuendus, vel intercipiendus eſt, ſeu harum-ce arteriarum obſtructio ſæpiùs prior eſt, quàm obſtructio arteriarum lymphaticarum.

XX.

Etiamſi ſanguis in arterias lymphaticas ut plurimùm non irruat, niſi obſtructis priùs arteriis capillaribus ſanguineis, exinde ne credas velim, in omni inflammationis ſpecie partis affectæ arterias lymphaticas ſanguine plùs vel minùs non turgere. Et quidem num pars quæ naturaliter alba erat, inflammata plùs vel minùs rubet, uti videre eſt in inflammatione adnatæ, membranarum, & partium tendinearum, imò & oſſium ? num pars tunc, impenſè rubeſcit, quæ carneo colore naturaliter tincta erat uti obſervatione conſtat? unde color ille, niſi arterias lymphaticas ſanguis ingrediatur. Sed quid illis diutiùs immoramur, num noſter clariſſ. *Vieuſſens* (a) primus omnium exponens inflammationis theoriam quam hic propugnamus, vidit & demonſtravit arterias lymphaticas in inflammatione plùs vel minùs ſanguine turgere ?

XXI.

Sanguis vaſa obturare poteſt, ſi quantitate peccet, vel rareſcat nimis, vel maximo motu agatur.

Humorum motus progreſſivus non à cordis ſolùm motu, & arteriarum majorum, ſed etiam minima-

(a) Novum. vaſor. ſyſt. p. 110.

rum contractione dependet : illius autem contractionis humor apellens cauſa occaſionalis eſt ; quippè cor & arteriæ non contraherentur, niſi priùs humoribus dilatata & diſtenta fuiſſent. Itaque diſtentio hæc naturali major, nec minor ſit oportet ; cor, & vaſa ultrà modum diſtenta reſtitui non poſſunt, aut inſufficienter, nec contrahi ſi priùs ſat dilatata non ſint.

Iis primùm animadverſis, quo mechaniſmo vaſa obturentur, haud difficilè intelligetur.

XXII.

Sanguis nimiâ ſuâ quantitate aut rareſcentiâ vaſa potiſſimùm capillaria ſic dilatare & diſtendere poteſt ut parùm & inſuficienter contrahantur ; unde ſanguine in vaſis ſtagnante, advenienti iter plùs vel minùs præcluditur ; qui continuò appellit ſanguis per vaſa jam obſtructa liberè non fluens, in vicina fertur, eaque, plùs vel minùs infarcit, & eò faciliùs occludit, quòd tunc naturali denſior eſt.

Ità quoque ſanguis nimio motu actus obſtructiones parere poteſt, non ex eo ſolùm, quia ex arteriis in venas ſanguineas capillares ſibi aditum præcludit, ſed & etiam quia impetu quo ad arterias uſque lymphaticas propellitur, eas aperit, diducit, & infarcit.

Tandem vaſa quandoque obturantur à ſanguine, qui è viâ divertit. Impedito enim aut retardato ſanguinis fluxu in aliis vaſis, præſertim in vicinis, ſanguis ad alia vaſa utpote liberiora majori quantitate appellit, qui ſi maximo motu agatur in arterias lymphaticas irruit, eaſque plùs vel minùs obturat.

XXIII.

Obſtructio univerſalis, vel particularis eſt, tota-

lis, vel partialis, prout omnium vel plurium, aut aliquarum tantùm partium vaſa capillaria plùs vel minùs obturantur.

Indè quoque variæ inflammationis ſpecies. 1.o Phlogoſis, ſi ex datis obſtructionibus ſanguis in vaſis magnâ quantitate nondùm colligatur. 2.o Ereſypelas, ſi arteriæ lymphaticæ in ſuis ultimis ramis & veluti per puncta ſanguine ingurgitatæ ſint. 3.o Phlegmone, ſi non arteriæ ſolùm lymphaticæ, ſed etiam ſanguineæ capillares ſanguine plùs vel minùs circùmſcriptè turgeant.

XXIV.

Inde 1.o Quæcumque ſanguinis quantitatem adaugere poſſunt, qualia ſunt alimentorum ſolita ingurgitatio, excretiones ſolitæ ſi ſuprimantur, vita deſes & otioſa obſtrutionem à ſanguine inducere poſſunt. 2.o Quæ ſanguinis intendunt rareſcentiam & motum, ut imprimis liquorum ardentium uſus, acria, piperata, ſulphurea, atque ipſorum medicamentorum præpoſterus uſus.

Ex iis rationem habes, quare plethorici, maximè ſi vino, aut liquoribus ardentibus indulgeant, apoplexiâ facilè corripiuntur, vel catharro ſuffocativo pereunt, vel febribus inflammatoriis objiciuntur; tandem quare in eis viſcera facilè inflammantur, atque obſtructis vaſis capillaribus, plura alia mala eveniunt, omnia periculi plena.

XXV.

Datur altera obſtructionis ſpecies, ab eâ, de quâ jam egimus, diverſâ; tum quia ſubitò non fit; tum, quia iiſdem ſymptomatis ſtipata non eſt. Hæc autem obſtructio duplex eſt. Alia à prævio & exiſtente

infarctu arteriarum ſanguinearum capillarium ſemper dependet ; altera verò obſtructionem inflammatoriam conſequitur.

XXVI.

1.o Obturatis ſenſim & ſine ſenſu arteriis capillaribus ſanguineis, qui continuò advenit ſanguis, per hæc vaſa, ut pote quæ plùs vel minùs obturata, ulteriùs liberè non progrediens, aliò divertit, ad arterias lymphaticas utpote liberiores appellens, iis pedetentim diductis unà cum parte albâ globuli rubri ingrediuntur, quibus hæ arteriæ lymphaticæ eò faciliùs obturantur quòd horum-ce vaſorum vis ſiſtaltica naturâ maximè debilis eſt.

XXVII.

2o. Hæc obſtructio aliam obſtructionem ſcilicet inflammatoriam conſequitur ; nimirum ſi arteriæ lymphaticæ laxentur & ſubſidant remanentibus tamen in eis globulis rubris, ſi non omnibus, ſaltem ſufficienti quantitate ut lympham ſtagnantem ſuo colore tingant.

XXVIII.

Ne credas hâc obſtructionis ſpecie corpus humanum quandoque non affici: quis enim pluries non vidit hepar, & alia viſcera, imprimis lienem, ſanguine colore fuſco aut ſubnigro tumida ? quæque obſtructiones in vivis quidem à legitimo Skirrho, primo intuitu differre non videbantur ; verùm hæ obſtructiones tactui non æquè reſiſtunt ac ſcirrhus legitimus. Præterea ſi durâ manu pertractentur, quidam doloris ſenſus in eis perſentitur. Demùm partes ſic affectæ aliquando dolent, quod certè in ſcirrho non evenit, niſi exulcerari, atque in ca-

ncrum, aut tumorem cancroſum mutari incipiat iis ſiquidem ſignis infarctus & tumores à ſanguine cognoſcere & à ſcirrho diſtinguere poteris. Cave ne in iis decipiaris; multi certè decipiuntur, aut quia ad hanc obſtructionis à ſanguine ſpeciem non attendunt, aut quia illius naturam perſtringere neſciunt; unde iiſdem medicamentis, eâdemque methodo has ſcirrhorum ſpecies (ſic eas obſtructiones nominare liceat) pertractant, ac ſi ab albâ ſanguinis parte ſolùm penderent; quantùm verò illi errant, probat infelix eorum praxis, atque apertio cadaverum hiſce infarctibus ſanguinis defunctorum.

XXIX.

Secundò. De obſtructionibus ab albâ ſanguinis parte. Eadem eſt harum-ce obſtructionum ſedes; in iis ſicuti in aliis de quibus egimus, artériæ lymphaticæ in textu cellurari ut plurimùm infarctæ ſunt.

Hæc obſtructionis ſpecies primaria eſt vel ſecundaria. Primaria duplex eſt, prout ab albá ſanguinis parte denſiori vel craſſiori dependet; ſecundaria vel infarctum ſanguineum conſequitur, vel infarctus qui œdematoſus erat ſcirrhi naturam induit; denique utraque ſpecies vel ſimplex eſt, vel compoſita.

XXX.

I. De obſtructionibus ab albâ ſanguinis parte denſatâ. Humoris qui naturali denſior eſt, partes componentes ſic inter ſe cohærent, ut tactui reſiſtant plùs vel minùs, prout inter ſe magis vel minùs connectuntur. Denſata igitur alba ſanguinis pars arterias capillares lymphaticas obturare poteſt, tum ob eam quam opponit arteriis ſe

ſe contrahere nitentibus reſiſtentiam, tum ſuâ mole; illius enim limphæ molec ulæ totidem obturamenta ſunt, quibus arteriæ lymphaticæ plùs vel minùs occluduntur. Quibus adde impetum, quo humores illi ad illa vaſa feruntur, omnis enim humorum denſitas à prævià & validâ vaſorum preſſione dependet, quâ proinde humores magnâ vi in vaſa propellendi ſunt. Denique ipſa vaſa tunc maximè tenſa ſunt, aut arida.

XXXI.

Ergo quæcumque humores præter naturam denſant, hæc ſunt cauſæ ſaltem mediatæ hujus ſpeciei obſtructionum; unde rationem habes, quare ex prægreſſis febribus intenſis vaſa capillaria obſtructa ſæpius remaneant, quare febris lenta illas febres quandoque ſubſequitur cum marcore & extenuatione totius corporis, hinc etiam vides, quàm parùm ii medici ſuis ægrotantibus conſulunt, qui nullâ datâ indicatione, ſed hypotheſi ſuâ ſolùmmodò ducti ad morborum curationem niſi evacuantia, & quod pejus eſt ex validioribus deprompta exhibere neſciunt; & ita frequenter, ut omni alio auxilio artem noſtram deſtitutam eſſe diceres. Verùm enim verò ne credas velim, nos à medicinâ evacuantia etiam repetita rejicere, animus ſit; tantæ quidem ſunt utilitatis, evacuantia etiam repetita, ut cum *Hippocrate*, & experientiâ ſuffulti certò aſſeramus, abſque evacuantibus morbos penitùs ſanari non poſſe. Itaque non uſum, ſed abuſum damnamus; iis autem medici frequenter abutuntur; unde morborum æſtus intenditur, atque abſumptis plùs quàm pareſt humorum partibus aquëis & ſeroſis tenuioribus, atque vaſis aridis, denſati humores in capillaribus impacti hærent, vaſa hæc ob-

turantur; indè tardæ convaleſcentiæ, omnes periculi plenæ, indè quoque febres lentæ in quas aliæ febres aut alii morbi prægreſſi ſæpius deſinunt, quæ etſi lentè moveantur, niſi cum morte quàm ſæpè finire ſolent.

XXXII.

II. De obſtructionibus quæ ab albæ ſanguinis partis craſſitie dependent. Hæc autem ſanguinis pars, ſic conſtituta arterias capillares lymphaticas eò faciliùs obturare poteſt, quòd tenuiſſimis vaſis permeandis multò minùs apta ſit, præterea ejus motus naturaliter lentus maximè imminutus eſt; unde in iiſdem vaſis facilè immoratur. Demùm vaſa illa jam laxata (humorum enim craſſitudo à laxitate vaſorum tanquàm ac præcipuâ cauſâ inducitur.) humoribus advenientibus facilè cedunt, & quod admittunt eò difficiliùs propellunt, quòd iidem humores jam ſtagnantes ſuâ craſſitie illis vaſis maximè reſiſtant, atque ea magis ac magis laxent.

XXXIII.

Quòad harum-ce obſtructionum cauſas remotas aut mediatas; eæ omnes ſunt quibus humores plùs vel minùs incraſſantur uti diximus art. 10. Id unum addam, ſcilicet obſtructiones ab albâ ſanguinis parte pendentes ut plurimùm fieri, arteriis capillaribus ſanguineis etiam non obſtructis; nam etſi iis obturatis pars alba ad arterias lymphaticas majori quantitate appellat, eaſque obſtruat, attamen libero etiam ſanguinis motu in ſuis vaſis, pars alba ſivè denſitate, ſive craſſitie peccans obſtructiones parere poteſt, uti fuſè jam expoſitum fuit.

XXXIV.

Tertio. De obſtructionibus ab humoribus recrementitiis & excrementitiis. Ut ut, cæteris paribus

faciliùs

facilliùs & ſæpius impediatur liquidi motus in canali laterum ad partes motus convergentium ſeu in arteriis ſanguineis & lymphaticis, quàm in vaſe laterum parallelorum ; qualia ſunt vaſa ſecretoria : in iis tamen humores recrementitii & excrementitii ſæpe colligunntur, eaque vaſa plùs vel minùs obturantur prout ii humores, aut horum moleculæ jam in magnis vaſis aut incraſſati aut denſati fuerunt : humores qui ad alia vaſa obturanda, nec ſat craſſi, nec ſat denſi ſunt, in intertextis glandurarum vaſis ſecretoriis, & maximè in gladularum cryptis hærere & ſtagnare poſſunt, atque in iis craſſiores facti, quandoque denſiores, vias ſibi plùs vel minùs intercipiunt. Sic pori biliarii & ductus quoque hepatici bile, ſic fiſtulæ renales humorum parte obturantur craſſiori, ſic vaſa ſecretoria cutis ſudore & ipſâ materiâ inſenſilis perſpirationis, ſic vaſa quæ in veſicularum pulmoniarum cavo inhiant limphâ craſſâ occluduntur, ſic & de aliis vaſis ſecretoriis. Et hæc ſufficiant de obſtructionibus ſimplicibus: jam de compoſitis. De ſecundariis agemus inferiùs.

XXXV.

Plures ſunt obſtructionis compoſitæ differentiæ. 1o. Si inter ejuſdem partis vaſa, alia ſanguine, alia albâ ejus parte, alia humoribus recrementiis, vel excrementitiis aut plura ex illis ſimul obturentur : harum-ce obſtructionum generatio, ab iis quæ de iis ſigillatim diximus, repetenda eſt.

XXXVI.

2.o Si quæ obturantur vaſa, priùs aut compreſſa, aut adſtricta erant. Tunc enim vaſorum cavitas

non imminuitur ſolùm, occluduntur quoque ab ipſis humoribus advenientibus ; quippe cum humores quòad majorem partem ultra progredi non poſſint, citra obicem colliguntur, atque nimiâ ſuâ quantitate, vel craſſitie; ſed potiſſimùm denſitate, quam ibi ſæpius contrahunt, ſibi iter plùs vel minùs intercipiunt; ita ut vaſa, licet à conſtrictione & compreſſione deinceps libera, obſtructa tamen remanent, difficilè quandoque reſeranda.

XXXVII.

Hæc vaſorum adſtrictio verè ſpaſmus eſt, ſeu eorum convulſio ab affecto genere nervoſo dependens. Verùm præter illam alia datur convulſionis ſpecies non in muſculis ſolùm, ſed etiam in ipſis vaſis, à primâ diſtinguenda: illâ ſiquidem muſculorum moles ſicuti & vaſorum cavitas imminuitur; iſtâ adaugetur; prima verus ſpaſmus eſt à causâ veluti externâ dependens ſeu ab adaucto in partem affectam ſpirituum influxu. Secunda verò diſtentionis ſpecies ab ipſis humoribus nimiâ quantitate adauctis, vel nimiùm rareſcentibus, & ut plurimùm nimio motu actis inducitur; unde partium affectarum adaucta moles. Sic etiam vaſa convelluntur, ſi ſubitò nimis depleantur, uti evenit ex magnis hemorragiis, aut aliis excretionibus immodicis. Prima igitur & tertia convulſionis ſpecies ad convulſiones ab inanitione; ſecunda verò ad convulſiones à repletione cum *Hippocrate* meritò referri poſſunt.

XXXVIII.

Alia eſt anguſtiæ ſpecies ab ipſis vaſis dependens; ſcilicet ſi à quâcumque causâ areſcant, & veluti exſiccentur uti perſæpe evenit ex prægreſſis febribus ardentibus, medicamentis calidioribus, ſed præſer-

tim ex præpoſtero & longo Kinækinæ uſu ; uti plu-ries vidimus. Sic autem anguſtata vaſa humoribus fa-cilè itinera intercludunt, humores in eis ſtagnant, atque factâ etiam obſtructione humorum retardatur motus, ſi in eis penitùs non intercipiatur. Hæ ſunt præcipuæ anguſtiæ ſpecies, quæ ſi ritè inter ſe non diſtinguantur, eis certè non medeberis.

XXXIX.

Humores per obſtructa vaſa iter non habent, aut niſi difficilè ; vaſa igitur ultra hos obices humo-ribus plùs vel minùs deſtituta, magis vel minùs inaniuntur; qui appellunt humores, vel in vaſis citra obſtructiones colligi oportet, aut in vicina diverti, ac proinde vitiato in omnibus, aut quàm plurimis vaſis humorum motu circulari, functiones perver-tuntur, varia enaſcuntur ſymptomata plùs vel mi-nùs infenſa, atque amiſſâ ſanitate totum corpus variis affectionibus citò corripitur.

XL.

1.º Vaſis capillaribus obſtructis, ſingulis cordis contractionibus ſanguis qui advenit ultra liberè non progrediens, citra anguſtata vaſa coacervatur; vaſa hæc pro ſuâ amplitudine plùs vel minùs ingur-gitaturus. Dixi 1.º ſanguis qui ſingulis cordis con-tractionibus advenit: quippè arteriæ plùs vel mi-nùs replentur, quò cor ad eas ſanguinem majori vel minori quantitate emittit; unde numero inde-finitis vaſis anguſtatis, in principio paxoxyſmorum, ſanguis minimâ quantitate ad cor rediens, è corde etiam in arterias minimâ quantitate propellitur, ac proinde pulſus parvus eſt. Dixi 2.º vaſa pro ſuâ am-plitudine, plùs vel minùs facilè ingurgitantur; eorum-

dem enim vaſorum eadem non eſt in omnibus hominibus, etſi magnitudine & mole æqualibus capacitas. Prætereà, vaſa appellentibus humoribus non eodem modo cedunt, itaquè eâdem ſanguinis quantitate non æquè ingurgitantur.

XLI.

2.º Sanguine adveniente vaſa citra obices ampliata & maximè diſtenta validiùs contrahuntur, quarum contractione ſanguis in arterias laterales adigitur, & eò majori quantitate, quòd hæc vaſa lateralia, pro factâ diſtentione aortæ, vel aliorum ramorum, ampliantur; indè ſanguine majori quantitate & celeriùs ad cor redeunte, cor frequentiùs & validiùs dilatatum, frequentiùs etiam & validiùs contrahendum eſt, ſicut & arteriæ; unde febris accenditur non finitura, uſque quò vaſa obſtructa reſerata ſint.

XLII.

3.º Sanguis ad capillares arterias liberas magnâ copiâ & impetu maximo appellens, hæc eadem vaſa ſic quandoque replet & tendit, ut in eis aditum ſibi præcludat, atque iis quoque ſanguine infarctis, inflammatio extenditur; vel aliæ corporis partes inflammantur, prout in illis ſanguis congeritur.

XLIII.

4. Sic quoque albâ ſanguinis parte obſtructis arteriis lymphaticis, humorum quantitas in aliis vaſis adaugetur; unde etiam ſanguis fit craſſior & ſpiſſior, vel pars alba ad arterias lymphaticas divertit, aut iis dirruptis effunditur, vel per vaſa excretoria effluit; unde cacheticus corporis habitus, anazarca, aſcites,

hydrops pectoris, hydrocephalos, & aliæ hydropis ſpecies, prout in iis præ aliis corporis cavitatibus alba ſanguinis pars colligitur. Hæ autem ſeri effuſiones eò faciliùs eveniunt, quòd infarctis viſceribus venæ vicinæ ut plurimùm comprimantur.

XLIV.

5.° Obſtructis vaſis capillaribus humorum quoque pars aërea vel ſola, vel cum ſero permixta vaſa collateralia quandoque ingreditur, uti evenit 1.° ex magnis hæmoragiis; quippe ſanguine in capillaribus tunc ſtagnante, atque maximè denſato, partes aëreæ undique expreſſæ in vaſa collateralia irruunt, eaque replent, & diſtendunt. Hæc autem vaſa aëre tumida vidit D. *littre.* (*a*) Mulierem quoque vidimus cujus totum corpus ex immodicâ uteri hæmorragiâ intra paucos dies aëre maximè intumuit. 2.° Aër quoque perſæpe colligitur intra cutim & muſculos intercoſtales, ſi humorum motus in aliquâ extremâ pectoris parte frigore ſubitò minuatur; unde dolores ſæviſſimi pleuritidem mentientes. (*b*) 3.° In convaleſcentibus etiam pedes aëre quandoque intumeſcunt, quam intumeſcentiam ab œdematoſo tumore diſtinguere poteris, illa enim tactui dificiliùs cedit, atque citò reſtituitur. Tandem pedes ſicuti alii tumores emphiſematici, aut continuo dolent, aut levi datâ cauſâ dolorem ſaltem diſtenſivum inferre poſſunt. Contrarium verò in tumoribus œdematoſis. Id unum addam, emphiſemata hæc in œdema facilè mutari, maximè ſi ritè non tractentur. 4.° His tumoribus emphiſematicis pueri æſtate præſertim perſæpe afficiuntur.

XLV.

6.° Tanta aliquando eſt vaſorum capillarium an-

[a] Memoire de l'Acad. an. 1714. [b) Id. ibid.

guſtia, ut minima vaſa ultra anguſtiam humoribus maximè deſtituantur; cum autem partium moles ab humoribus, quibus replentur vaſa, ex quibus contextæ ſunt, immediatè dependeat; ad ea igitur interupto humorum fluxu, hæc vaſa plùs vel minùs inaniri oportet, atque partes magis vel minùs areſcere; uti evenit inprimis ſi morbo pregreſſo aut medicamentis malè adhibitis, vaſa nimis irritata fuerint, aut exſiccata.

Ex dictis rationem habes 1.º Quare febricitantium oculi intra breve tempus quandoque concavi fiant. 2.º Quare morbi acuti inflammationibus, chronici verò tabe, aut hydrope perſæpè terminentur.

XLVI.

Quanta mala eveniant ex obſtructis vaſis ſecretoriis recenſere certè tædioſum foret. Præpeditâ ſecretione humorum, quæ alimentorum digeſtioni inſervinnt, eorumdem alimentorum vitiatur digeſtio, unde chylus pravus, qui ſanguini permixtus naturales ejus qualitates prævertit. Retenta urina ſanguinem inficit. Materia tranſpirationis in vaſis reſtitans humorum quantitatem adauget, qualitates immutat aut in cute ſi retineatur varios affectus cutaneos producit, &c.

ARTICULUS TERTIUS.

De incidentibus & attenuantibus.

I.

IN omni humorum concretionis ſpecie moleculæ eorum ſtrictiùs inter ſe cohærent, quàm in

ſtatu naturali; ut igitur iiſdem humoribus prima reſtituatur fluiditas, eerundem molecularum nexus vel interpoſitis corporibus fluidis aut mollibus laxandus eſt; ſed de iis hic non agitur; vel moleculæ illæ incidendæ & attenuandæ ſunt, ut earum moles non minuatur ſolùm, ſed etiam ſolvatur quæ inter illas connexio erat: itaque incidentia & attenuantia medicamenta ſunt, quibus humores partibus eorum inciſis & attenuatis, atque ſoluto earundem partium nexu, primam recuperant fluiditatem.

II.

Quia humores inciſi & attenuati facilè reſolvuntur, atque reſerantur vaſa quæ obturabant; ideò incidentia & attenuantia vocantur reſolventia & aperientia: dicuntur etiam tonica, quia iis tenſa, quæ laxata erant vaſa validiùs oſcillant, atque languidus humorum motus refocillatur & intenditur.

III.

Medicamina quæ humores incidunt, attenuant, & reſolvunt, vel acria ſunt fixa aut volatilia, vel amaricantia, vel aromatica & ſpirituoſa, vel pinguia aut ſulphureo-reſinoſa. Inter incidentia quoque referri ſolent abſorbentia. Tandem acida non nulla reſolvunt. Quæque incidentia & attenuantia depromuntur ex regno vegetabili, vel animali, vel minerali. Qualia ſunt:

IV.

Ex regno vegetabili.

I. Radices conſtantes ſale aromatico blando, ſeu mitiori virtute diureticâ aperiente, blandè ſudorificâ.

1.o Apii, cujus plures ſpecies in uſu ſunt, iiſdem quidem virtutibus, ſed non ad eundem gradum præditæ. 1.o Apium paluſtre ſeu Apium officinarum *Hache*, 2.9 Apium hortenſe ſeu Petroſelinum vulgò *Perſil.* 3.o Apium macedonicum, vel Petroſelinum macedonicum, *Perſil de macedoine.* Apium paluſtre præter vim incidentem & attenuantem lac quoque retentum ad renes amandat, & coagulatum reſolvit, unde externè etiam exhibetur cum ſpermate ceti in cataplaſmatis ad lac in mammis reſolvendum. Petroſelini utriuſque radix Apio paluſtri validior eſt. Sium ſive Apium paluſtre, foliis oblongis, vulgò Berula *Berle* maximè aperit.

V.

2.o Radix Fœniculi præter vim incidententem & attenuantem, confert quoque ad lactis generationem in mammis; verùm cave, ne hæc vel alia medicamenta quæ ad lactis generationem adhiberi ſolent, nimiam urinæ excretionem promovendo ipſum lac, aut ejus materiam ad renes detrudant foraſque expellant per vias urinarias. Apium autem paluſtre diureſim potentiùs movet, quam Fœniculum.

VI.

II. Radices ſale volatili acerrimo conſtantes abſque oleo. 1.o Ari radix, quæ cùm accerrima ſit potenter diſſolvit, ac proinde in regionibus frigidis, quàm in calidis multò magis in uſu eſt; germanis tamquam remedium polycreſtum eſt in omnibus affectibus à materiebus ſeroſis & viſcidis pendentibus; ob nimiam ſuam acredinem recens numquam exhibeatur, ſed exſiccata, donec ejus acredo temperata ſit; maximè temperatur aceto & aliis

ſuccis acidis verùm hanc radicem non adhibere, ſaltem in regionibus calidis & ſiccis multò tutius eſt.

VII.

2.o Scilla cum cruda valdè acris ſit, fauceſque exurat numquàm danda in ſubſtantiâ. Ex Scillâ parantur acetum, & oxymel ſcilliticum aſthmaticis maximè proficua, modò tamen aſthma à materiebus craſſis & viſcidis dependeat, cum pulmonum contextûs ſummâ laxitate; nam ſi à tuberculis inductum fuerit, aut ſi ſiccum, vel convulſivum ſit, iis remediis morbus intenderetur, atque alia mala ſupervenirent multò periculoſiora.

3.o Radix Graminis canini arvenſis urinam præprimis movet, aliis radicibus jam recenſitis multò minùs acris, ac proindè iis minùs incidit & attenuat. In vermibus fugandis exhibetur cum aliis remediis anthelminthicis.

VIII.

III. Radices ſale Blando fixo cum tenui viſcoſitate conſtantes.

1.o Eryngii, Bardanæ; hæc autem Eryngii radice amarior & potentior eſt, urinam movet & turbidam efficit. Hujus radicis raſura commendatur contra pleuritidem; externè uſurpatur in lotionibus ad ſcabiem.

2.o Radix Cichorii ſilveſtrîs, in ictero & omnibus hepatis obſtructionibus plurimùm confert, uti pluries vidimus.

IX.

IV. Radices ſale blando diuretico conſtantes.

1.o Aſparagi cujus vires in radicum recentium cortice, ut & in julis ſeu novellis germinibus inprimis

ſitæ ſunt ; urinis ſuum odorem facilè impertiunt ; venerem ſtimulare dicuntur.

2.° Ruſcus vel Bruſcus. Ejus radices viſcoſitate carent, quâ aſparagus turget, unde aſparagi radicibus potentiùs incidunt.

3.° Ononidis vel Anonidis radices ſarcocelem etiam & ramices carnoſas abſumere aſſeritur.

4.° Rubiæ tinctorum ſativæ radices magis, ſunt in uſu in medicinâ, quàm ſilveſtrîs, potentiùs incidunt, quàm radices Ononidis.

5.° Radix Saxifragæ rotundi-foliæ radice granuloſâ. Granula hujus radicis quæ vulgò ſed malè pro ſemine venditantur ſunt in uſu, materias craſſas quibus renales fiſtulæ, aut quæ in veſicâ continentur, incidunt & attenuant, atque earum materierum excretionem promovent, ſed calculum non in renibus frangunt, multò minùs in veſicâ.

6.° Saxifragia Tragoſelinum majus umbellâ candidâ, germanis Pimpinella alba, incidit & attenuat, diuretica eſt ; apud eoſdem germanos multò in uſu eſt.

7.° Filipendulæ Oenantes Saxifragæ rubræ radices exiſtimantur potiſſimùm in tartareâ mucagine pulmonum, renum, & articulorum incidendâ.

8.° Fragariæ radicis decoctum prodeſt ſpleniticis, hepaticis, & ictericis, in vulneribus pectoris, inflammatum hepar reſtinguit, mundat renes atque veſicam, eorumque ulcera ſanare fertur, diarrhœam ſiſtit, atque menſes nimiùm fluentes ; conducit in cachexiâ, & hydrope.

X.

9.° Taraxcum, ſeu Dens Leonis. Ejus radices ob inſignem aperiendi, & urinæ pellendæ vim quam habent, calculoſis imprimis commendatur. Earum

decoctum juxtà *Cratonem* multùm valet in faciei rubedine.

10.º Pinpinella, Agrimonia, Chelidonium majus. Radix eſt in uſu, maximè in morbo regio. Succum foliorum verrucas abſumere ſæpiùs vidimus.

XI.

11.º Helenium Enula campana. Radix ejus pinguîs eſt ſaporis, acrîs, amaricantis, aromatici, odoris fragrantis. Itaque licet ob dulcedinem lubricantem vim habeat anodinam, attamen ob ejus ſummam acredinem, ut guſtu facilè percipitur, non exhibeatur ſi ventriculi aut alterius viſceris contextus ſenſilior ſit. Medicamentum quod laxatis fibris tenſionem reſtituit, iis nimiùm tenſis certè noxium eſt. In chloroſi ſpecificum habetur. Condita radix vel in decocto, expectorationem quoque adjuvat in ſcorbuto commendatur mixta cum cortice Winterano, & in colicâ à flatibus ortâ cum flavedine corticum aurantiorum. Vitiatum appetitum ob ventriculi laxitatem, vel humores craſſos, & viſcidos in ejus cavo hoſpitantes mirè exſuſcitat, uti pluries vidimus.

XII.

Ex radicibus aperientibus decem ſelectæ fuêre; quarum quinque dicuntur majores, quinque minores.

Radices aperientes majores, ſunt: Radices Apii, Fœniculi, Petroſelini, Aſparagi, Bruſci.

Quinque radices aperientes minores ſunt: Graminis, Rubiæ tinctorum, Ononidis, Capparîs, Eringii.

XIII.

V. Plantæ ſale volatili oleoſo penetrantiſſimo cum

acido volatili conſtantes. 1.o Cochlearia. Ejus folia viridia & recentia in uſu ſunt, dum autem exſiccantur, quod in eis volatile eſt facilè in auras avolat. In ſcorbuto primas tenet. Plurimùm etiam confert in omnibus morbis à ſanguinis dyſcraſiâ oriundis, modò nihil contraindicet. Contraindicant autem totius corporis, aut alicujus partis areſcentia, ſenſibilitas nimia, inflammatio, humorum denſitas.

2.o Naſturtium utrumque, hortenſe, & aquaticum. Iſtud utpote minùs acre magis in uſu eſt; in ſcorbuto & affectionibus ſcorbuticis cochleariæ vicem gerit, tum ejus ſuccus expreſſus tum ejus decoctum cum taleolis limoniorum acidorum, uti pluries, & feliciter obſervatum eſt.

XIV.

VI. Plantæ ſale volatili conſtantes abſque oleo volatili. 1.o Eryſimum in mucagine pulmonum maximè proficuum eſt.

2o. Perſicaria. Ejus nimia acrimonia emollientibus temperanda eſt. Cuſcuta leviter incidit & attenuat.

XV.

VII. Plantæ partibus amaris conſtantes cum pauco volatili ſale. 1.o Cichorium ſilveſtre tanquàm polychreſtum medicamentum laudatur quoties reſolvendum, temperandum, abſtergendumque eſt. Expreſſus ejus ſuccus quolibet mane hauſtus ad uncias tres vel quatuor, vel quinque plurimùm confert uti pluries vidimus in ictero, & ſcirrho hepatis. Borrago.

XVI.

2.o Fumaria, Centaurium minus, Carduus benedictus, Lupulus, iſtius flores ad cereviſiam uſurpantur. Turiones magis in uſu ſunt in medicinâ.

3.° Tamariſcus. Cortex ejus radici præfertur, tota planta etiam in uſu eſt, in vino albo infuſa ad tres vel quatuor uncias quolibet mane ſumpta in pallidis virginum coloribus plurimùm confert.

XVII.

VIII. Plantæ ſalibus terreis conſtantes. Præter vim adſtringendi, plures ex illis ſanguinem reſolvunt quales ſunt: 1.° Bellis ſilveſtris. Prodeſt in pulmonum diatheſi inflammatoriâ, pleuritide, hæmoptyſi. Porrò inſigniter confert, ſi quis propter potum frigidum æſtuante corpore hauſtum tuſſim inflammatoriam, vel ad phtiſim diſpoſitionem contraxerit. Planta & flores in uſum adhibentur.

2.° Mille folium. Ejus flores ut ſpecificum habentur in affectibus hypochondriacis & hyſtericis, inprimis ſi à ſanguine dependeant. Flores theæ ad inſtar in aquâ bulliente infunduntur.

3.° Chærefolium iiſdem ac Mille folium virtutibus præditum eſt.

4.° Plantæ capillares: ſeu Capillus veneris Monſpelienſis, Politricum aureum, Aſplenium ſeu Ceterach officinarum, Ruta muraria ſeu ſalvia vitæ, Lingua cervina ſeu Scolopendria vulgaris.

5.° Succi gummoſi & reſinoſi. Gummi Ammoniacum. Myrrha. Bitumen judaicum.

XVIII.

Ex regno animali.

1.° Mumia cujus virtus Myrrhæ, Aſphalto, & Aloe imprimis debetur.

2°. Sanguis hirci; qui cum ſanguinis calorem maximè adaugeat, ejuſque motum intendat, ideò ſummâ cautelâ adhibeatur, & in parvâ doſi; tutiùs etiam ages, uti experientiâ conſtat, ſi nimias ejus vires in-

fringas, & veluti dirigas oleo amygdalarum dulcium, ſpiritu aceti, & ipſo laudano opiatico, vel liquido, vel ſyrupo de papavere albo. Cum ſpermate ceti feliciter exhibetur. Cave nè pecces in doſi, hoc enim medicamentum ſanguinis calorem maximè intendit, quidquid dicant nonnulli. Non ſolvitur niſi in menſtruis ſulphureis, uti omnia alia medicamenta pinguia.

4°. Cancri fluviatiles, Aſelli, Lumbrici terreſtres.

XIX.

Ex regno minerali.

Sal ſalſum, foſſile, & fontanum, Sal ammoniacum. Borax, quibus adde ſalia artificialia: ſcilicet Sal fixum tartari, omnia ſalia lixivioſa: abſynthii, centaurii minoris &c. Salia neutra: Tartarum Vitriolatum, Arcanum duplicatum, Sal admirabile *Glauberi*, Tartarus ſolubilis, Sal Polycreſtum, terra Foliata tartari, Tartarum chalybeatum, Nitrum antimoniatum.

Hæc ſunt præcipua reſolventia, & incidentia; jam de eorumdem agendi, & utendi modo.

XX.

Primò de agendi modo. Plures ſunt medicamentorum ſpecies, quorum operâ inſpiſſatis humoribus naturalis fluiditas reſtituitur. 1.° Alia ſunt acria, tum fixa, tum volatilia, alia ſalſa quæ humoribus permixta eoſdem humores tum mole ſuâ, tum figurâ attenuant & ſolvunt, atque ipſa ſolida adoriendo tendunt, atque repetitis ipſorum contractionibus, eorundem humorum motus intenditur. Hæ enim medicamentorum partes utpote tenuiſſimæ & ſolidiſſimæ, veluti totidem maſſulæ ſunt quibus vaſa ſuccutiuntur atque humores quibus madebant

nimis & laxabantur, emunguntur, tandem advocato majori ſpirituum animalium influxu, humorumque motu accelerato partes ſolidæ primam tenſionem recuperant. Indè quoquè majori motu actæ quæ cum humoribus permixtæ ſunt aliæ medicamentorum maſſulæ, iiſdem humores magis; ac magis carpuntur, inciduntur & attenuantur, ſolvuntur, liquantur.

XXI.

2.o Amaricantia, aromatica, ſpirituoſa, ſulphurea. Hæc enim præter partes ſolidas, tenues, ſalinas quibus plùs vel minùs impregnata ſunt quibuſve (uti diximus n.o præcedenti,) humores inciduntur, tenduntur que partes ſolidæ, moleculis etiam conſtant quæ humores quibuſcum permiſcentur ſopitos exſuſcitant, eorum motum adaugent intenduntque, unde humores ad fluendum aptiores, minùs in ſuis vaſis torpeſcunt, atque vaſorum in quibus continentur adauctâ tenſione, propelluntur moventurque, & eò validiùs, quò hæc vaſa magis tenſa validiùs oſcillant.

Ex his rationem habes quare incidentia, & attenuantia tonica ſunt, quare etiam cardiaca & tonica, humoribus inſpiſſatis, primæ fluiditati conciliandæ maximè inſerviunt.

XXII.

3.o Sulphurea reſinoſa. 1.o Salibus quæ continent humoribus ſolvendis apta ſunt. 2.o Suis partibus ſulphureis eorumdem motum adaugendo, uti ſuperiùs dictum fuit, fortaſſè, & quod quidem ſat veriſimile videtur, iis medicamentis, humores potiſſimùm diſſolvuntur ob ſummam quæ inter earum partes & moleculas ſanguinis, ſaltem pinguîs ineſt affinitatem. Nam

ſicuti pinguia corpora, niſi ab oleoſis non ſolvuntur, ſic quoquè & partes pingues ſanguinis, dum ſtrictiùs inter ſe cohærent, corporibus ſulphureis ſejungendæ ſunt. Unde rationem habebis quare medicamenta pinguia ſanguini, ſeu ejus parti rubræ cum albâ concretæ, ſolvendo præ aliis magis dicata ſunt. Hinc plures plantæ quàm aliæ ad hanc diſſolutionem abſolvendam aptiores ſunt; aliæ verò magis appropriatæ ad incidendam, & attenuandam albam ſanguinis partem; conſtat enim experientiâ ſanguinem hirci V. G. qui ſanguinem in pulmonibus, aut in pleuræ vaſis ſtagnantem diſſolvit, parùm aut nullatenùs prodeſſe in morbis qui à concretâ limphâ dependent.

XXIII.

Exindè nè credas tamen medicamenta electivè agere, ſeu veluti intelligentiâ quâdam ad certas, præ aliis, corporis partes amandari, ibi hunc, non alium affectum oppugnatura: hæc certè figmenta ſunt. Quæ ſanguinem vel lympham in unâ parte reſolvunt, eos humores incidere valent in quibuſcumque aliis corporis partibus. Cantharides quæ urinæ excretioni adaugendæ atque ſecretæ foràs educendæ apprimè inſerviunt, ventriculum pro doſi plùs vel minùs afficiunt, atque in aliis corporis partibus humorum motum adaugent & pervertunt. Itaque ideò hæc præ aliis medicaminibus huic affectui ſanando magis inſerviunt, vel quia majorem cum humore à quo morbus dependet affinitatem habent, vel quia in eâ parte, præ aliâ, validiùs agunt, quia in illâ dantur reſiſtentiæquas in alterâ non invenit; eò enim corpus in aliud corpus validiùs agit, quò in eo majores reſiſtentias invenit, undè adauctis viribus remedii, effectus ſenſibiliores in eâ parte perſentiuntur; dixi ſenſibiliores, nam in aliis corporis partibus tumultus quàm ſæ-

pè

pè moventur, undè affectus prioribus infenſiores heu! nimiùm eveniunt! cum nempè medicamenta hæc prudenter exhibita non fuerint.

XXIV.

40. Abſorbentia corpora terrea ſunt, ac proindè maximè poroſa, quæ cum acidis tumultuantur, atque partes aqueas, ſuccos acidos, ac acriorem pituitam ſic abſorbent, ut ſalia quandiù in eis latitant, nequeant ampliùs agere. Abſorbentia naturalia ſunt, vel arte parata. Inter naturalia recenſentur Creta, Oculi Cancrorum fluviatilium, Corallia, Cryſtallus, Gemmæ omnes, Terræ &c.

Arte facta per calcinationem parari ſolent, quâ corpora, quæ dura erant, ſolida & denſa in pollines ſubtiliſſimos abeunt, aut ſaltem ſic friabilia ſunt, ut in pulverem tenuiſſimum & terreum facilè reduci poſſint. Calcinatione autem corpora ità deſtruuntur, ut quas antea habebant proprietates, penitùs amittant, atque in calces mutantur plùs vel minùs vivas pro calcinationis gradu, & pro naturâ corporum calcinatorum. 1.° Pro calcinationis gradu; quò enim magis calcinantur, eò etiam magis particulis igneis referta ſunt, ac proindè efformata calx magis viva eſt. 2.° Pro naturâ corporum; calx enim de ſaxo, magis valet, quàm de oſtracodermatis parata. Sic autem calcinari ſolent teſtæ ovorum, conchæ, oſtracodermata, oſſa, cornua amimalium, &c.

XXV.

Suas ſiquidem proprietates corpora calcinatione amittunt, ac verè terrea fiunt, verùm particulis igneis plùs vel minùs impregnata ſunt; unde ſi ab iiſdem particulis igneis repetitâ lotione non liberen-

tur multò minùs abſorbentia ſunt, quàm acria medicamenta. illi igitur errant qui corpora calcinata, & non debitè lota ad abſorbendum exhibent, quippè ſolidis irritandis, atque fluidis commovendis magis apta ſunt, quàm ſuccis acidis abſorbendis. Animus meminiſſe dolet infelicis experimenti quod chirurgus duobus abhinc annis peregit:ille ſi quidem abſque medici conſilio magneſiam albam quam ipſe paraverat exhibuit illuſtriſſimæ feminæ hujus civitatis. Vix autem aſſumptâ tertiâ doſi illius medicamenti diſruptis vaſis pulmonalibus nobilis illa mulier ſanguinem per os ejecit, febris eam corripuit, atque intrà paucos menſes perſeverante febre & ſanguinis per os excretione, in tanto vitæ periculo verſabatur, ut ni nobiſcum illi occurriſſent plures ex doctiſſimis & expertiſſimis medicis monſpelienſibus imminentem mortem certè non evitaſſet; verùm tanta inuſta fuit labes pulmonibus, ut invitis lacte, juſculis è teſtudinibus, aliiſque demulcentibus identidem febris revertitur ſicuti ſanguinis rejectio è pulmonibus.

Itaquè corpora calcinata ad abſorbendum non exhibeantur, niſi priùs lota ſint & eò magis, quò diutiùs calcinationem paſſa ſunt.

XXVI.

Eadem non eſt corporum terreorum abſorbendi vis, alia enim magis, alia minùs abſorbent ſub æquali pondere. Dimidius ſcrupulus dentis monocerotis abſorbet ſpiritûs ſalis acidi gtt. xx. mandibularum lucii piſcis gtt. xxx. lapid. cancror. & matr. perlar. orient. gtt. L. perlar. orient. gtt. LX. occidental. gtt. LXXX. teſtarum oſtrear. ultra gtt. C. deſtruxit. (*a*)

(a) Langius diſſert. de antacidis. c. 1. ſ 5.

XXVII.

Hæc eſt fortè unica corporum terreorum proprietas ut nempè partes aqueas & acidas abſorbeant; itaquè non ad inſpiſſatos humores diſſolvendos inſerviunt ſed ad abſorbendos ſuccos acidos quibus inſpiſſari poſſunt. Qui autem in primis viis hoſpitantur ſuccos acidos, aſſumptis remediis terreis abſorberi poſſe, extra dubium eſt; verùm an vaſa chylifera ingrediantur, exindè cum ſanguine permiſcenda eſt. Maximè incertum eſt.

XXVIII.

1.o Quia multò faciliùs eſt corpora tereſtria præterlabi in canalem inteſtinorum, & cum excrementis excerni quàm vaſorum chyliferorum oſtiola ingredi.

2 o Abſorbentia corpora terrea ſunt, quæ proindè cum partibus aqueis, aut materiebus craſſis & viſcidis permixta in primis viis in corpus gypſeum abeunt, atque cruſtam efformant tenacem patula vaſorum chyliferorum oſtiola facilè oblinientem, atque obturantem; quæ ex ventriculo per vomitum quandoque rejecta eſt, aut poſt mortem in ventriculo reperta.

3.o Tantùm abeſt ut humoribus permixta abſorbentia eoſdem humores diſſolvere poſſint, quin è contra iis ſpiſſandis aptiſſima videntur; nam præterea quòd moleculis ſuis craſſis & ſpiſſis vaſa capillaria facilè obturarent, humorum quoquè motum irretirent, eos glutinis inſtar magis ac magis ſpiſſando.

XXX.

Objicient, corpora terrea interiùs aſſumpta humores diſſolvere, non dividendo, ſed abſorbendo aci-

da quibus inſpiſſati fuêre. Hæc quidem plurimorum medicorum opinio eſt. Verùm prætereà quòd maximè incertum eſt, an aſſumpta terrea vaſa chylifera ingrediantur, cum humoribus deinceps permiſcenda, num terra cum aquâ communi admixta ejus fluiditatem imminuit? quid ni & medicamentis terreis humores non craſſeſcerent, ſi cum eis permiſcerentur.

Præterea aſſumpta acida paulò poſtquàm in ſanguinis oceanum ingreſſa ſunt, acorem deponunt, qualitatem præſertim ammoniacalem aſſumentia. „ Plantæ „ per os aſſumptæ quamtùmvis acido fœtæ, actione ventriculi & pulmonis & cordis circuitum „ fluidi noſtri efficientis mutantur citò in corpora „ alcalica: adeòque tantùm abeſt, ut acida morbos tollant, aut faciant perimendo ſalia ſanguinis „ alcalica, ut potiùs acida in ſanguinem accepta humorem alcalicum progignant. (*a*) Ac proindè quæ de acido in ſanguine oberrante & luxuriante proferuntur, aut falſa, aut maximè incerta ſunt, atque humores ipſis pravis ſuccis & ſpiſſis potiùs, quàm eorum acidis inſpiſſari poſſunt, quibus ſiquidem diſſolvendis corpora terrea certè inepta ſunt. Qui de iis plura deſiderat, legat clariſſ. *Tralles* exam. rigoroſ. de terreis remed.

XXX.

Ex dictis colligere poteris medicamenta terrea in primis viis hoſpitantia acida abſorbere. Verùm ſi quaſdam eorum partes tenuiſſimas excipias, oſtiola vaſorum faciliùs prætergredi, quàm ea ingredi; ac proindè ſi ad primam humoribus fluiditatem reſtituendam inſerviant, non dividendo, ſed abſorbendo

(a) Pitcarnius de operâ quam præſtant corpora acida vel alcalia in curat. morb.

acida in primis viis, quibus-vè acidis humorum ſpiſſitudo induci aut adaugeri poſſet; tandem maximè incerta eſſe, fortè falſa quæ de acido coagulante vulgò proferri ſolent.

XXXI.

Acetum ſanguinem ſpiſſare & diſſolvere aſſerunt experientiâ ſuffulti veteres *Galenus*, *P. Ægineta*, *Oribaſius*, *Ætius* & plures alii. Sic quoquè de aceto & ejus ſpiritu ſentiunt quàm plures ex recentioribus medicis. Undè tam diverſæ ejuſdem corporis proprietates? An nè acetum & ejus ſpiritus diverſis partibus componuntur quarum aliæ ſpiſſare, aliæ verò diſſolvere poſſint? vel minimè; ii enim effectus oppoſiti non ex aceto præciſè, ſed ex variâ, ſanguinis, in quem agit, diſpoſitione repetendi ſunt; quippè niſi ſanguinem fluidum non ſpiſſant, concretum verò diſſolvunt, maximè ſi in aliquâ corporis parte retineatur, uti pluries obſervavimus: & quidem num idem corpus, ſpiritus nitri cum aquâ permixtus, ejuſdem aquæ calorem intendit, verùm ſi aquæ congelatæ affundatur, ejus frigus multò magis adauget? (*a*) Num Sal marinum quod ferrum erodit, unà cum nive, aut glacie pulveratâ permixtum, aquam congelat, quâ proportione nix aut glacies liqueſcit? (*b*)

XXXII.

Quid ni & acetum & ejus ſpiritus, quæ ſanguinem fluidum inſpiſſant, eum concretum non diſſolverent? diſſolventem autem aceti cum aquâ permixti, atque ejus ſpiritûs virtutem pluribus & ſe-

(a) M. Muſſchenbroek eſſai de Phiſique tom. 1. chap. 25. ſſ. 917. [b] Id. ſſ. 909.

licibus experimentis comprobare poſſem : Canonicus venerabilis Eccleſiæ Sancti Petri Monſpeliensîs urinæ ſuppreſſione à grumis ſanguinis collum veſicæ obturantibus à tribus diebus laborans, hauſto oxycrato ſanguinem fluidum liberè minxit. Sic virgo annos 23. nata ſanguinem in ventriculo concretum, aſſumpto oxycrato per os liquidum ejecit, atque à cardialgiâ & frequenti animi deliquio liberata eſt. Mulierem vidimus, quæ a ſanguine in ventriculo retento in ultimo vitæ periculo verſabatur, quæ aceti ſpiritu ſolutum ſanguinem evomuit, atque intrà paucos dies perfectè ſanata. Plures alias eſt. Obſervationes afferre poſſem, quæ hanc aceti, & ejus ſpiritûs vim ſanguinis concreti diſſolvendi virtutem magis ac magis comprobarent.

XXXIII.

Secundò. De Methodo utendi. Medicus ad tria præſertim in omni remedio exhibendo attendat oportet. 1.° Ut medicamenti delectus fiat. 2.° Ut humores & ſolida iis recipiendis apta ſint. 3.° Ut ordine præſcribantur.

I. De medicamentorum delectu. Qui deperditam humoribus fluiditatem reſtituendam ſuſcipit, ad concretionis ſpeciem primùm attendat, quia autem concretio de quâ hîc agitur ſpiſſitudo eſt, ea proindè exhibenda, quæ humores inſpiſſatos incidere & attenuare poſſunt; quæcumque alia maximè noxia forent.

XXXIV.

2.° Quia modò totus ſanguis, modò alba ejus pars duntaxat inſpiſſata eſt, incidentia varia in uſum adhibenda. Nam etſi impoſſibile ſit, ut quæ albam ſanguinis partem concretam reſolvunt, par-

tis rubræ globulos non diſcerpant; attamen dari incidentia, quæ rubræ ſanguinis parti ſolvendæ apta ſint non experientiâ ſolùm conſtat, ratione quoquè confirmatur. Quippè cum totus ſanguis in corpus minùs durum abeat, quàm alba ejus pars, indè multò faciliùs diſſolvitur; inſuper in vaſis ſanguineis aut intra partes ſummè ſenſiles effuſus colligi ſolet, quæque partes ab incidentibus & attenuantibus facilè irritantur. Tandem quia diſſolutio non fit niſi datâ quâdam affinitate diſſolvens inter, & corpus diſſolvendum. Cum autem globuli ſanguinis ab ejus parte albâ differant, illi enim pinguibus humorum moleculis quoàd majorem partem componuntur, proindè quæ ad eos diſſociandos adhibentur diſſolventia alterius naturæ eſſe neceſſe eſt, atque diverſa ab iis, quæ parti albæ dividendæ & atterendæ deſtinantur.

Indè quæ concretum ſanguinem diſſolvunt ſulphurea ſunt vel alkalino-terrea.

XXXV.

3.° Ut humoribus concretis prima fluiditas reſtituatur, cauſæ à quibus concretio illa dependet, primùm removendæ ſunt; undè ſi à pravis ſuccis & ſpiſſis humorum craſſitudo inducta fuerit; in ventriculo congeſta emeticis per os educantur, vel per anum catharticis excernenda, ſi jam in inteſtinis latitent. Ità quoquè ſucci acidi remediis terreis abſorbendi. Demùm laxatis ventriculi fibris primùm robur conciliandum eſt reſolventibus, cardiacis, & tonicis medicamentis.

XXXVI.

Indè patet quibus alimentis tunc uti oportet. Quæ craſſa & viſcida ſunt, humores inſpiſſant, aut eorum

ſpiſſitudinem adaugent; ideò mutatâ diætâ, aliis quæ diverſis qualitatibus prædita ſint, veſci oportet. ità & cæteris rebus non naturalibus non abutendum; undè cum ad humorum craſſitudinem vita deſes & otioſa, atque ſomnus diutiùs protractus conferant plurimùm, ea cane pejus vitanda, iis præſertim quorum textus fibrarum naturaliter laxus eſt, quorum proindè humores ad ſpiſſitudinem proni ſunt. iis autem exercitium plurimùm confert; ità tamen ut non defatigentur. Sic invigoratis ſolidis, humores liberiùs fluunt, imminens ſpiſſitudo avertitur, atque faciliùs ſolvitur, quæ jam facta eſt.

XXXVII.

4.o Quia incidentium vires diverſæ ſunt, alia enim magis, alia minùs incidunt, ea proindè & ſingula dignoſcenda ſunt, ut pro dato craſſitudinis gradu convenientiora exhibeantur. 1.o Quæ acria ſunt maximè irritant, humorum motum intendunt, ideò iis non utaris, niſi vaſa verè laxata ſint, atque humores ſat remolliti. Aliàs nocerent.

XXXVIII.

2.o Amaricantia, maximè de acrium proſapiâ ſi fuerint, eoſdem ac acria effectus producunt. Præterea quibus conſtant partibus ſulphureis humorum motum magis adaugent, globulos rubros diſcerpunt; quarè etiamſi perinde atque acria non irritent, iis non utendum, niſi vaſis laxatis, ſopitus humorum motus exſuſcitandus ſit.

3.o Reſolventia quæ ex partibus viſcidis cum ſalinis aut amaricantibus componuntur, nec vaſa nimis irritant, nec humores ultra modum commovent.

4.o Abſorbentia

4.o Abſorbentia uti ſuperiùs probatum fuit ad ſanguinem non appellunt, atque cum eo permixta eum potiùs inſpiſſarent quàm diſſolverent. Unde in eo diſſolvendo non adhibeantur; hæc autem cum medicamenta terrea ſint, ſuccis acidis proindè & acribus in primis viis hoſpitantibus abſorbendis aptiſſima ſunt.

XXXIX.

5.o Acetum ſimplex, vel diſtillatum, vel cum aquâ permixtum, ſanguinem concretum certè diſſolvit; verùm ſi ſanguis fluidus ſit, eum inſpiſſat; prætereà nullius uſûs eſt, ſi ſanguis in cavitate quâdam congeſtus & concretus non colligatur. Non exhibeatur niſi ſanguis in quâdam cavitate effuſus concretus ſit.

Ad reſolventia quoquè referenda ſunt remedia volatilia, & ſpirituoſa, omnia tonica, ſed inprimis ferrum; iis enim firmatur laxatus partium tonus, unde humores in motum acti primam fluiditatem recuperare poſſunt; ſed de iis hîc non agitur.

XL.

II. Humores & ſolida incidentibus attenuantibus recipiendis apta ſint oportet, quæ de aliis remediis intelligenda ſunt, ſeu ea exhibenda quibus humores debitè reſolvantur, atque debilitatus partium ſolidarum tonus firmetur & roboretur. Humores concreſcunt vel quia denſantur, vel quia ſpiſſantur, denſatis attenuantia & incidentia ſolvendis non minùs imparia, quàm noxia ſunt. Tantùm enim abeſt ut ſolida hiſce medicamentis irritata humores ſolvant, quin è contrà illis validè ſeſe contrahentibus humores magis undique preſſi ſtrictiùs connectendi ſunt, atque in corpus firmius cogendi. Exinde etiam pa-

tet quàm maximè noxia futura ſint attenuantia, ſi ſolida nimis tenſa ſint, ea enim laceſſendo magis ac magis tendunt, convelluntque.

XLI.

Itaquè incidentia & attenuantia non conveniunt niſi in alterâ concretionis ſpecie, ſeu quando humores craſſi & ſpiſſi ſunt, atque partium ſolidarum tonus verè debilitatus eſt. Varianda quoquè pro ſpiſſitudinis gradu, atque vaſorum debilitate, prò craſtudinis gradu: quò enim humores craſſiores ſunt & molliores, eò faciliùs & tutiùs incidi & attenuari poſſunt: eorum contextum attenuantia faciliùs penetrant ſolvuntque; indè ſi maximè concreti ſint & expreſſis partibus aqueis jam indurati, incidentia validiora noxia forent.

LXII.

Itaque ut in re tanti momenti tutò agere poſſis, tres diſtinguas velim ſpiſſitudinis gradus. In 1.o gradu humores minùs concreti ſunt, ac proinde multò faciliùs reſolvi poſſunt; unde nec tantus incidentium apparatus requiritur, nec validiora ſint oportet; levia ſufficiunt. Prætereà quia tunc ſolida ut plurimùm minùs laxata ſunt, acrioribus attenuantium aculeis fodicarentur nimis, atque irritata convellerentur, aut validiùs oſcillantia humores nimiùm denſarent. In 2.o gradu paulò validiora exhibeantur. In 3.o tandem nullis rebus contradicentibus validiora in uſum adhibeto: verùm cave nè concreti humores indurati ſint, tunc enim priùs remollire oportet, ut pro vario remollitionis gradu reſolventia tutò exhibere poſſis; Vel diluentia & emollientia cum incidentibus & attenuantibus permixta exhibenda, ut iis diluentium & emollientium

vires intendas, illis verò retundas incidentium & attenuantium aculeos.

XLIII.

Ad ſolida quoquè attendat incidentia & attenuantia exhibiturus: hæc ſi quidem remedia non conveniunt niſi ſolida verè laxata ſint; præterea quia vaſorum laxitas modò major modò minor eſt, ea quoque varianda pro variis debilitatis gradibus; quò enim vaſa laxiora ſunt, eò attenuantia acriora tutò exhiberi poſſunt, vel mitiora, ſi eorumdem vaſorum robur minùs infirmatum ſit.

LXIV.

Dixi modò vaſa verè debilitata ſint; quandoque enim ſic convelluntur, aut areſcunt, ut immota maneant, aut niſi debiliter non contrahantur, quod quidem incautis ſæpiùs fucum facit, atque niſi priùs cognoveris ritèque diſtinxeris, primam tenſionem eis non reſtitues: vaſa convulſa, aut nimiùm tenſa ab attenuantibus tenduntur magis, ad arida quoquè remollienda hæc remedia inutilia ſunt & noxia, quæ ſicca ſunt additis partibus fluidis primam flexilitatem recuperant, remediis verò acribus, aut æſtuantibus magis ac magis areſcunt & indureſcunt. Itaquè ſi vaſa nimis tenſa ſunt, ea adhibeas quæ ea laxare poſſunt, qualia ſunt imprimis hypnotica; aquea verò & emollientia ſi arida & ſicca ſint. Aut ſic permiſcenda, ut datis indicationibus eodem tempore ſatisfacias.

XLV.

III. Pauca nobis dicenda ſuperſunt, de ordine quo incidentia & attenuantia exhibere oportet. Ut plurimùm debiliora tutiùs præmittuntur, præterea,

primo ægrorum intuitu difficilè cognoſcitur ad quem concretionis gradum humores inſpiſſati ſunt, quæve eſt partium ſolidarum diſpoſitio, an plùs vel minùs laxæ ſint. Verùm ſi debiliora reſolutioni abſolvendæ imparia videantur, ad fortiora gradatim progrediendum eſt, ut legitimo eorum uſu humoribus naturalis fluiditas reſtituatur. Hæc quoquè de incidentium doſi intelligenda ſunt, eò minor ſit quò validiora ſunt, ſaltem in principio morbi; in ejus verò decurſu, eâ quantitate exhibeantur, quâ humores abſque ullo corporis detrimento debitè ſolvi queant.

XLVI.

Tandem plantarum ſucci earum decocto anteponendi; ſucci enim expreſſi parvam vel nullam alterationem paſſi totiùs plantæ virtutes retinent, quæ coctione aut immutantur, aut avolant; unde flores & plura folia in aquam calidam tantùm projiciantur ut earum tinctura extrahatur. Plantæ diutiùs non coquendæ ſunt, atque ſemi-horâ ad majus in ollâ buliant; quæ verò durioris contextûs ſunt majori coctione indigent.

ARTICULUS QUARTUS.

De Curatione obſtructionum in genere.

I.

VAſorum anguſtia morborum internorum præcipua cauſa eſt; iis igitur morbis non medeberis, niſi vaſis prima reſtituatur libertas. Plures

ſunt anguſtiæ ſpecies, de iis hîc præſertim agitur, quæ ab humoribus dependent, quibus obſtructionis nomen propriè inditum eſt. Verùm quia obturata vaſa quandoque ſpaſmo conſtricta ſunt, aut interiùs compreſſa, ideò in curatione obſtructionum ad ea omnia quoquè attendere neceſſe eſt; ut iis ritè cognitis & diſtinctis medicamenta prudenter & appoſitè exhibens, iis omnibus ſatisfacias indicationibus.

II.

I. De Obſtructionibus à ſanguine; & primò de iis, quæ fiunt per fluxionem. Sanguis vaſa capillaria obturare poteſt, vel nimiâ ſuâ quantitate, vel rareſcentiâ, vel motu ſuo adaucto, aut immutato; præthereà quia variis cauſis illa quantitas adaugeri poteſt, aut rareſcentia intendi, vel motus accelerari, aut immutari; quæ ſi priùs non removeantur, obſtructa vaſa reſerare, atque alias affectiones avertere impoſſibile eſt; eâdem enim cauſâ agente, idem effectus ſubſecuturus eſt. Itaquè obſtructionum à ſanguine curationem ſuſcepturus, ad ea omnia attendere debet.

III.

1.° Si obſtructio à nimiâ ſanguinis quantitate inducta fuit; quæ prætermodum adaucta eſt, quantitatem, citò imminuere oportet repetitis venæ ſectionibus, diætâ tenui & convenienti, ipſoque, ſed moderato corporis exercitio: quippe quæ ore aſſumit adultus, per inſenſilem perſpirationem quòad majorem partem excernenda ſunt; hæc autem ſi retineantur, humorum quantitas adaugetur; atque eorum nativæ qualitates facilè pervertuntur; unde morbus jam infeſtat, aut imminet. Humores

etiam quantitate adauctâ peccantes utpote qui undique ac validè preſſi denſantur maximè, inde in vaſis capillaribus facilè ſtagnant, eaque obturant: ideò præter hæc, quæ ſanguinis quantitatem imminuunt, ea quoque tum internè, & quandoque externè adhibeantur, quæ eoſdem humores diluere poſſunt atque vaſa nimiùm tenſa laxare.

IV.

In Regionibus præſertim frigidis ad vaſa ipſo ſanguine exuberante aut rareſcente infarcta, internè exhiberi ſolent incidentia, & attenuantia imò validiora: an hæc benè vertant, medici viderint. *Monſpelii* ſcribo in aëre temperato, & ſaluberrimo; ubi, ſi pauca excipias & leviora, & illa quæ ſanguini reſolvendo magis nata ſunt, quæcumque alia incidentia & attenuantia nocere ſolent; quin imò, ipſa leviora, atque appropriata rarò proſunt, niſi præmiſſis venæ ſectionibus, ſanguinis quantitas priùs imminuta fuerit, atque jam ſedata ejus rareſcentia. Quarè multò etiam tutius eſt ea incidentia unà cum diluentibus, & emollientibus exhibere, aut iis permixta quæ eorum medicamentorum vires infringunt: Aut quæ corpus ſic diſponunt præmittenda ut illis nulla noxa inferatur.

V.

2.° Si à ſanguine rareſcente, aut nimio motu acto obſtructio dependeat, eam avertes, eique mederis repetitis venæ ſectionibus, diætâ tenui & diluente, atque iis omnibus, quæ humorum motum temperare, ac nimium eorum æſtum compeſcere ſolent; tandem qui impactus hæret ſanguis in capillaribus, reſolvendus eſt, uti dictum fuit.

VI.

Capillaria & ipſa majora vaſa ſanguine quandoque ſic turgent, ut aggravata ſolida, non niſi moleſtè moveri queant; unde laſſitudines illæ ſpontaneæ, quæ morbos graviſſimos præcedere ſolent. Infarctus ille veluti univerſalis obſtructio habenda eſt, cui ſi citò non occurras, febres ſæpiùs lethales, aut ſummè periculosæ accenduntur, & quod pejus eſt, vel totum corpus inflammatur, aut hæc vel illa viſcera, prout ſanguis appellens in iis, præ aliis faciliùs colligitur. Ad tanta mala avertenda ſanguis pluries emittatur, diluatur quoquè, atque ejus æſtus obtemperetur.

VII.

3.° Si ab immutato ſanguinis motu obſtructio inducta ſit, deviantem ſanguinem in viam citò reducere oportet: verùm quemadmodum morbi tutò non ſolvuntur, niſi cauſæ internæ, à quibus dependent ex toto oppugnatæ ſint, ſic quoquè ſanguinis circuitum in ordinem non reſtitues, niſi viæ ejus ab omni anguſtiâ expeditæ ſint; ideò autem humores è viâ divertunt in alias partes majori quantitate fluxuri, quia in omnibus, prout ſolitum eſt, liberè fluere non poſſunt: humorum autem motus in aliquâ corporis parte plùs vel minùs intercipitur, ſi partis illius vaſa obſtructa ſunt, vel adſtricta, vel compreſſa.

Quòad primum, ſeu ſi vaſa obturata ſint, ea omnia citò adhibenda, quæ eadem vaſa reſerare poſſunt, uti jam diximus & dicemus inferiùs.

VIII.

Quòad ſecundum, ſeu ſi vaſa conſtricta ſunt, ea priùs laxentur. Mulierem mercatoris Monſpelienſis

paucis ab hinc annis inviſebamus, cujus, cum in utero haberet, atque ob conſtrictas ac veluti convulſas & frigidas extremitates inferiores tota facies pluries in die intumeſcebat colore ferè nigricante ſuffuſa, modò, cum totius corporis, modò unius, modò alterius partis motibus convulſivis atque ſanguinis loturæ carnium haud abſimilis eruptione ex ore, naribus, oculis & auribus: quandoque ſenſus penitùs deficiebant. Ad tanta mala avertenda, & depellenda præter varia medicamina ſanguis uno graviditatis tempore duodecies è brachiis emiſſus fuerat, ſexies è talo, ter è jugulo. Cum autem iis omnibus invitis ſymptomata continuò ſævirent, mulier hæc, quæ ſex menſes gravida erat in balneum calidum & compoſitum ex bulbis liliorum alborum, foliis malv. cum ſemine lini biſin die demiſſa eſt ad media femora duntaxat, atque ut ſanguinis motus ad partes infernas faciliùs & citiùs revocaretur, duæ mulieres eaſdem partes infernas, toto illo tempore quo in balneo erat, levi manu perfricabant. Res benè & feliciter ſucceſſit, ex primo balneo mulier meliùs ſe habere viſa eſt, atque intrà paucos dies à ſæviſſimis illis ſymptomatibus omninò libera, perfectè ſanata eſt, & rectè & ſuo tempore peperit.

IX.

Sic, & haud abſimilibus balneis ſedatos vidimus inveteratos capitis dolores, qui à conſtrictis extremitatibus inferioribus, tamquàm à cauſâ occaſionali inducti fuerant; iis ſi quidem balneis & repetititis frictionibus laxantur partes inferiores, deflexi humores, partes ſupernas minori quantitate adeunt; unde quæ ex eorum nimio affluxu mala inducebantur avertuntur, atque prima ſanitas recuperatur.

Quòad

X.

Quòad tertium, ſeu compreſſionem. Vaſa enim compreſſa citrà obicem ſanguine continuò appellente ingurgitantur, atque in vaſis vicinis ſanguis colligitur, vel in remotas partes divertit, plura mala illaturus, quæ quidem non removebuntur, niſi vaſis ab omni compreſſione liberis, humorum circuitus in omnibus corporis partibus reſtitutus ſit.

XI.

Secundò de obſtructionibus à ſanguine, per congeſtionem. Sic autem ſanguis hærens certè incidendus eſt & attenuandus; verùm cave ne incidentibus & attenuantibus ſanguis ſtagnans nimiùm rareſcat, atque ne vaſa irritata convellantur, aut validiùs oſcillent: partes ſanguine per congeſtionem infarctæ, aut præternaturam ſenſiles ſunt, aut levi datâ cauſâ dolorem inferre poſſunt; quæ igitur ex incidentibus & attenuantibus exhibentur, levia ſint, ut Cichorii ſilveſtrîs radix & ejus folia, rad. Rubiæ tinctor. Mille follium &c. ſalia neutra, Tararum chalibeat. &c. Incipiendo à parvis doſibus ut iis præmiſſis validiora tutò exhiberi poſſint.

XII.

II. De obſtructionibus ab albâ ſanguinis parte. Alba ſanguinis pars, quâ vaſa obturata ſunt, plùs vel minùs concreta eſt, atque vaſa illa, in quibus colligitur, vel flexilia ſunt, vel tenſa & rigida, vel ſicca & arida; quibus diverſis concretionis gradibus, atque variæ partium ſolidarum diſpoſitioni, ſi primùm non attendas; in vaſis obſtructis reſerandis fruſtra deſudabis.

XIII.

Itaque ſuppono 1.o Humores, quibus vaſa obturata ſunt, adhuc molles eſſe, atque vaſa nec rigida, nec ſicca; cum res ſic ſe habent, validiora incidentia & attenuantia tutò exhibere poteris; humores enim ſtagnantes, ut pote qui ſat remolliti, iis medicaminibus diſcerpi, & attenuari poterunt, quin vaſa irritata convellantur, nec validiùs contrahantur: verùm ſi ii humores minùs remolliti ſint, ab incidentibus & attenuantibus levioribus cura inchoanda eſt, ut deinceps validiora in auxilium advocentur. Humores jam indurati validioribus incidentibus obnituntur; unde parum, aut inordinatè attenuantur, atque vaſa, ſi tenſa ſint, facilè convelluntur; vel magis areſcunt, ſi jam arida ſint.

XIV.

Suppono 2.o Humores induratos eſſe in vaſis flexilibus, quod quidem raró evenit, vel in rigidis & tenſis, vel in aridis & ſiccis. 1.o Etſi in vaſis adhuc flexilibus humores indurati ſint, attamen à validioribus attenuantibus cura non ſuſcipiatur; quod ſiquidem induratum eſt vel renititur, vel niſi in fragmenta non mole minùs, quàm figurâ inæqualia dividitur, atque incidentibus, quæ ab humoribus ſic induratis retruduntur, vaſa quæ flexa erant, reſiliendo præter naturam tenduntur, & iis ita validè commoventur, ut validos ſæpiùs & inordinatos motus agant; unde non in vicinis tantùm, ſed & etiam in remotis vaſis humorum motus perturbatur. Hominem pluribus abhinc annis vidimus ſcirrho lienis laborantem, qui ex aſſumptis incidentibus validioribus, intrà paucos dies in aſcitem incidit; quam hydrópis ſpeciem & ipſam mortem, quæ

ſubſecuta eſt, certè tunc evitaſſet, ſi ab aperientibus debilioribus cura ſuſcepta fuiſſet; iis præmiſſis ad valiora gradatim confugiendo. Itaque humores indurati ſi ſint, vaſis etiam flexilibus, diluentibus primùm remolliantur; poſtea permixtis levibus incidentibus & attenuantibus leviter attenuentur atque cura modò nihil contraindicet validioribus abſolvatur.

X V.

2.o Quantò magis fortiora attenuantia in principio noxia futura ſunt, ſi cum humoribus induratis vaſa tum obſtructa, tum vicina prætermodum tenſa ſint; num vel leviter irritata facilè convelluntur, atque humores preſſione maximê adauctâ magis ac magis denſandi ſunt, & indurandi? taceo alia mala quæ ex irritatis nimiùm partibus ſolidis ſubſequi ſolent. Præterea indurati humores, uti diximus ſuperiùs, aut nullatenùs, aut malè reſolventur. Vaſa igitur nimiùm tenſa priùs laxentur, & humores remolliantur, tum diluentibus tum emollientibus; ſed imprimis antiſpaſmodicis, quæ cum incidentibus & levioribus & validioribus permixta feliciter exhibentur.

X V I.

Ex iis patet, quàm prudenter incidentia & attenuantia exhibere oportet mulieribus quæ paſſionibus hyſtericis additæ ſunt, & ipſis melancholicis, tandem iis omnibus quorum ſyſtema nervorum naturaliter ſummè ſenſile eſt, ſicut & illis qui motibus ſpaſmodicis univerſalibus, vel particularibus laborant, aut tentati fuere.

X V I I.

3.o Irritatis ſolidis atque commotis humoribus,

quod in eis aquoſius eſt, facilè exprimitur & avolat; ideò ſi cum humoribus induratis, vaſa arida ſint, quod quidem frequenter evenit, ſolida priùs remollire oportet, atque humores diluere; ut omnibus debitè præparatis, humores tutò incidi & attenuari poſſint, quin vaſa magis areſcant.

Ex iis rationem habes, quâ methodo inveteratas obſtructiones, ſive in toto corpore, ſive in aliquo viſcere tractare oportet, cum partes ſolidæ aridæ ſunt, uti iis potiſſimum evenit, quorum temperamentum naturâ ſiccum eſt, aut qui ex febribus ardentibus hectici ſunt, vel quorum longo & præpoſtero Kinækinæ uſu intimus partium contextus areſcit, cum humoribus in vaſis capillaribus plùs vel minùs induratis.

Ex dictis etiam patet, quàm noxia ſint incidentia præſertim validiora, iis qui ulcere quodam interno laborant.

XVIII.

Verùm enim verò quia diluentia & emollientia æquè ac incidentia & attenuantia nocere poſſunt, ni pro datâ indicatione ritè exhibeantur (illis enim partium textus præter modum laxari poteſt, atque humores vel nimiùm, vel inordinatè remolliri) 1.o Si partium textus naturali laxior ſit, aut humores parùm ſpiſſati, iis parcè utendum eſt, atque cum attenuantibus plùs vel minùs validis exhibenda. 2.o Nec cum humores indurati ſunt, diluentibus & emollientibus nimiùm indulgeas, iis enim ſicuti incidentibus & attenuantibus malè adhibitis tumores ſcirrhodei in cancrum facilè mutantur.

XIX.

Pauca dicenda nobis ſuperſunt de curatione obſ-

tructionum compoſitarum, illis ſiquidem variè occurendum eſt pro diverſis indicationibus, urgentiorem primùm adimplendo, ſic quoquè quæ primaria eſt, & à quâ aliæ tamquam à cauſa occaſionali dependent, obſtructionem, primò reſolvere oportet, atque ea adhibere, quæ cum unam oppugnant, aliam non adaugent. Quod quidem ſæpiùs difficile eſt, inde tanta in cancroſis tumoribus ſanandis difficultas.

XX.

Inciſi humores cum aliis iterum permixti horum quantitatem adaugent, & nativas qualitates ſæpiſſimè pervertunt, ideo eâ proportione quâ attenuati ſunt, eos evacuantibus convenientibus educere oportet: quod diximus de humoribus vaſa capillaria obturantibus, hæc quoque de humoribus craſſis, qui in ipſis magnis vaſis inciſi & attenuati fuere; ea enim in vaſis remanentia, vaſa capillaria facilè obturare poſſunt, atque totius corporis œconomiæ nocere. Verùm cave ne evacuantibus obſtructiones adaugeas, iis etiam medicamentis quæ tenſa ſunt vaſa convelli poſſunt, aut magis areſcere ſi arida ſint; ideo ſi vaſa laxa ſint, ad evacuantia etiam validiora tutiùs confugere poteris, ad debiliora verò, ſi vaſa tenſa ſint aut arida; eaque pro datâ indicatione iteraranda.

FINIS.

ERRATA.

P*ag.* 2. *li.* 3. dumtaxat, *l.* duntaxat. *li.* 8. ſiſtititur, *l.* ſiſtatur. *li.* 23. dumtaxat, *l.* duntaxat. *P.* 11. *li.* 5. conſtringunrur, *l.* conſtringuntur. *P.* 13. *li.* 4. lympha, *l.* alia lymphâ. *P.* 15. *li.* 6. arteriis capillaribus, lymphaticæ, *l.* lymphaticis capillaribus, arteriæ. *li.* 8. impeditus, *l.* impeditur. *P.* 17. *li.* 7. inflamatoria, *l.* inflammatoria. *li.* 8. eryſipas, *l.* eryſipelas, *li. ult.* diſſentio, *l.* diſſenſio. *P.* 19. *li.* 2. apellens, *l.* appellens. *li.* 13. inſuficienter, *l.* inſufficienter. *P.* 20. *li.* 7. ereſypelas, *l.* eryſipelas *li.* 14. ſuprimatur, *l.* ſupprimatur. *li.* 15. obſtrutionem, *l.* obſtructionem. *li.* 27. diversâ, *l.* diverſa. *P.* 22. *li.* 16. cellurari, *l.* cellulari. *P.* 24. *li.* 14. ac, *l.* à. *P.* 25. *li.* 1. faclliùs, *l.* faciliùs. *li.* 2. motus, *l.* motûs. *li.* 11. glandurarum, *l.* glandularum. *li.* 12. gladularum, *l.* glandularum. *li.* 19. pulmoniarum, *l.* pulmonariarum. *P.* 26. *li.* 24. hemorragiis, *l.* hæmmorrhagiis. *P.* 27. *li.* 23. arteriæ plùs, *l.* arteriæ eò plùs. *P.* 28. *li. penult.* dirruptis, *l.* diſruptis. *li. ult.* cacheticus, *l.* cachecticus. *P.* 29. *li.* 9. hæmoragiis, *l.* hæmorrhagiis. *li.* 14. hæmorragiâ, *l.* hæmorrhagiâ. *li.* 22. dificiliùs, *l.* difficiliùs. *li.* 24. 27. 29. emphiſematici, emphiſemata, emphiſematicis, *l.* emphy. *P.* 30. *li.* 5. interupto, *l.* interrupto. *li.* 7. pregreſſo, *l.* prægreſſo. *li.* 19. prævertit, *l.* pervertit. *P.* 31. *li.* 2. eerundem, *l.* earundem. *li.* 4. hic, *l.* hîc. *li.* 6. ſolûm, *l.* ſolùm *P.* 32. *li.* 14. incidententem, *l.* incidentem. *li.* 23. accerrima, *l.* acerrima. *li.* 26. polycreſtnm, *l.* polycrheſtum. *P.* 34. *li.* 8. magis, ſunt, *l.* magis ſunt. *P.* 46. *li.* 12. ſanata. Plures alias eſt. *l.* ſanata eſt. Plures alias *li.* 14. vim. *del.* P. 48. *li.* 6. pejus, *l.* pejora. P. 56. *li.* 31. humores, partes, *l.* humores partes.